PARÆNESIS CATHOLICA

AD MARCVM ANTONIVM DE DOMINIS, OLIM ARCHIEPI-ſcopum Spalatenſem, nunc verò à S. R. E. Apoſtatam, & in Angliam transfugam.

IN QVA EXAMINANTVR, AC REFELluntur quatuor libri eodem Auctore euulgati, qui de Republica Eccleſiaſtica inſcribuntur, necnon quamplurimi eiuſdem errores perſtringuntur, præſertim quos aduerſus Pontificiam poteſtatem coaceruat.

Auctore, ac Monitore F. ZACHARIA BOVERIO *Salutienſi Ord. Min. S. Franciſc. Congreg. Capuccinorum Minimo.*



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BONAVENTURA

LVGDVNI,
APVD IOANNEM CHARVET.

M. DC. XVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Elem. Ad. R. P. Mag. Mauritij de Pinarolo.

35-7-H-1

VNIVERSIS CATHO-LICIS AC REVERENDISS. EPISCOPIS, PATRIBVS, AC DOminis ampliſſimis F. Zacharias Bouerius Ordinis Minorum S. Franciſci Congregat. Capuccinorum humillimus ſeruus ſummam, ac perpetuam Fælicitatem.

PLerumque accidit (Patres Reuerendiſsimi) vt ingens quidam, ac intempeſtiuus admirationis ſtupor imperitorum animos percellat, dum hominum quorumdam, qui inter Eccleſiæ proceres prima honorum ſubſellia ſibi vendicabant, quique Eccleſiaſticarum rerum peritia, ac prudentia reliquos antecellere videbantur, repentinum à fide, & ab Eccleſia lapſum intuentur; atque inde ſcandali ſibi anſam arripiant, vnde humiliores, ac prudentiores fieri, maioribuſq́ꝫ, atque ardentioribus fidei ſtimulis ob aliorum lapſum excitari deberent. At qui hac ratione ex aliorum caſu ſibi ipſis ruinam accerſunt, primùm quidem neque forti, ac robuſta ſed molli prorſus ac imbecilli fide, ſeipſos

prædit os declarant, quippe qui inter eos annumerari debent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Lapſus enim huiuſmodi, & hæreſes (teſte Apoſtolo) non ad Eccleſiæ interitum, ſed ad probatæ fidei coronam à Deo permittuntur, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem, & qui probati ſunt, manifeſti fiant: Sed neque diuinorum oraculorum gnaros, aut certè memores ſe oſtendunt, quæ cùm paſſim futuros huiuſmodi virorum lapſus prænuncient, planè omnes ab ipſorum mentibus pernicioſæ admirationis ſcandalum abſtergere deberent. Quid enim magis ſeriò monet Petrus, quàm futuros inter nos Magiſtros mendaces, qui introducent ſectas perditionis. Quid certiùs aſſeuerat Paulus, cùm Aſiæ Epiſcopis Mileti coactis prædicit: [Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces in vos, nō parcētes gregi: & ex vobis ipſis exurgēt viri loquētes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe] quàm pleroſque inter Epiſc. aliquādo futuros, qui terga fidei, ac veritati vertentes Epiſcopalem thronum in peſtilentiæ cathedram commutent, ac hæreſum doctores fiant. Quapropter hos opportunè Tertullianus redarguit, ita ſcribens. Solent quidem iſti Miriones etiam de quibuſdam perſonis ab hæreſi captis ædificari in ruinam; quare vel illa, vel ille fideliſsimi, prudentiſsimi, & vſitatiſsimi in Eccleſia, in illam partem tranſierunt,

Luc. 8.

2. Pet. 2.

Act. 20.

Tertull. de Præſc. hær.

runt, quibus hac ratione occurrit. Quis hoc dicens non ipſe ſibi reſpondet, neq; prudentes, neq; fideles, neq; vſitatos æſtimandos, quos hæreſes potuerint demutare. Quæ ratio, vt maximo pondere non vacat, ita omnem huius peſtiferæ admirationis cauſam abſcindit. Quis enim fidelem, ac prudentem, quis grauem, ac cordatum virum; quis tandem perfecta Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratione imbutum illum eſſe exiſtimet, quamquam de Eccle*ſia eatenus bene meritum, tametſi canum, ac grandæuum, etſi doctum, ac rerum agendarum peritũ; licét Epiſcopum, ac Primatem, qui antiquis fidei dogmatibus conuulſis, ac prima Eccleſiæ fide violata, falſa apparentis tantùm cuiuſdam veritatis ſpecie deluſus, nuperis, ac nouitiis doctrinis, quæ non niſi Hæreticorum ſunt, ſe abduci ſinit; & ſub nouæ, ac reformatæ Religionis prætextu errorem pro veritate, hæreſim pro fide colit, atq; antiquum veræ Eccleſiæ ſtatum cum ſecta commutat. Nunquam enim prudentis, nunquam fidelis, nunquam in rebus Eccleſiaſticis exercitati hominis fuit, vt docet Hilar. ad* Conſtantium, *Poſt confeſſam, & iuratam in baptiſmo fidem quicquam aliud vel ambigere, vel innouare: aut ab iis, quæ ſemel ab* Eccleſia *didicit, ſub nouæ, aut purioris veritatis prætextu diſcedere: cùm vel hac tantùm ratione non ſolùm leuis, ac inſtabilis, verùm & perverſi, ac infidelis animi indicia prodat: ſi quidem per-* Hilar. ad Cõſt.

ſpectum eſt, quàm grauiter, quàm ſeuerè, quàm
Gal. 1. *vehementer inuehatur in eos Apoſtolus, qui mira leuitate nimiùm citò trànſlati fuerant ab eo, qui eos vocauerat in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium.*

Cæterùm, vt hoc noſtris Mirionibus dem, aliquem vſque ad canos fidelem, ac prudentem, imò & publicum fidei Confeſſorem, ac Martyrem extitiſſe: tum plurimos pro fide labores, calamitates, exilia, bonorum iacturas, ac vulnera pertuliſſe. Quid tum? Certè quandiu in his eum conſtantem agnoſcimus, fidelem, prudentem, ſapientem non hominum, ſed Dei ſapientia, probum denique iudicamus. At cùm primùm ſolus, ac nimium ſapere, tradita non cuſtodire, nouitatem ſectari, antiquas fidei regulas faſtidire, Patrum ſtatuta conuellere, Eccleſiæ diſciplinam contemnere, & aduersùs illam falſi nominis ſcientiam opponere incipit: iam neque fidelis, neque prudens, neque cæleſtis fidei diſciplinæ gnarus cenſeri debet; ſed ad illos iure, meritoq́ relegandus eſt, de quibus ait
Rom. 1. *Apoſtolus.* [*Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*] *Quamobrem errant magnopere, qui hos Sapientes, aut prudentes exiſtimant, quos error, aut hæreſis à vera fide extorres efficere potuit; perperamq́ ob eorum lapſum ſcandalizantur: cùm vt*
Tertull. *idem Tertullianus ait.* [*Quid ſi Epiſcopus, ſi*

Diaco

Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidē, an ex fide perſonas? Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis, nemo Maior, nemo Chriſtianus: nemo autē Chriſtianus, niſi qui ad finem vſque perſeuerauerit. de Præſc. Hær.

Porrò altera ratione Cyprianus conceptam de huiuſmodi hominum lapſu in quorumdam mētibus admiratione tollit, quam ex ipſa humanæ conditionis inconſtantia, variiſque diaboli tentationibus decerpit. [Nec quiſquam (inquit) miretur, dilectiſsimi fratres, etiam de Confeſſoribus quoſdam ad iſta procedere: inde quoq; aliquos tam nefanda, quàm grauia peccare: neque enim confeſſio immunem facit ab inſidijs diaboli, aut contra tentationes, & pericula; & incurſus, atque impetus ſeculares adhuc in ſeculo poſitum perpetua ſecuritate defendit: cæterum nunquam in confeſſoribus fraudes, & ſtupra; & adulteria poſtmodum videremus, quæ nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus, & dolemus. Quiſquis ille Confeſſor eſt Salomone maior, aut melior, aut Deo charior non eſt: qui tamen quamdiu in vijs Domini ambulauit, tandiu gratiam quam à Domino fuerat conſecutus, obtinuit: poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini: & ideo ſcriptum eſt. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.] Cypr. de vnit. Eccl.

En quam grauiter, ac diſertè Cyprianus Miriones noſtros hoc argumento ab exitiali huiuſmodi admiratione abſterret. Quis enim ſe peccare poſſe miratur cùm homo ſit? atque ea humani arbitrij libertate fruatur, qua vel in bonum, vel in malum iuxta præſcriptas ab eo leges ferri valeat. Hinc illa homini conſanguinea inconſtantia, ac leuitas ſeſe effert, quæ nullis vnquam humanis vinculis conſtringi, ac coërceri potuit: de qua
Iob.14. *Sanctus Iob. [Homo, ait, natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.] At quiſquis ille eſt, ſiue Doctor, ſiue Scriba, ſiue Confeſſor, ſiue Martyr, ſiue Epiſcopus, ſiue Primas, quandiu inter homines viuit, certè nunquam hominem exuit, ſed humanam ſemper naturam circumfert. Quid igitur hi humanæ imbecillitatis admiratores, occidentem in aliquibus fidem tam alto ſtupore proſequuntur, vt cùm primùm magnos interdum viros à recto fidei tramite aberrare, ac dilabi conſpexerint, indè propriæ fidei excidium, ac ruinam ſibi parent: cùm potiùs meminiſſe deberent, illos & homines eſſe ex mulieribus proge-*
Epheſ.2. *nitos, ac proinde, vt ait Apoſtolus, naturâ eſſe filios iræ, & ad peccata propenſos: tum verò plurimis, ac penè innumeris malis, ac miſeriis obſeſſos, quod inde potiſsimùm oritur, quandoquidem inter va-*

ria pericula, ac tentationum genera verſantur. Præterea haud ſecus quàm erumpentes quaſdam florum gemmas egredi, ac citò à peccatorum turbine conteri, ipſo humanæ fragilitatis, & inconſtantiæ pondere cum primis ad lapſum impellente: necnon velut umbras fugere, cùm primum diuinæ gratiæ lumine orbati ſponte Deum deſerunt, ac in ſcelerum tenebras ruunt. Denique nunquam in eodem ſtatu, ac ſede permanere, eò quòd propria animi libertate freti, facilè è ſublimi bonorum faſtigio ad improborum ſtatum prolabi, rurſuſque ad proborum numerum Deo excitante redire queant.

Cùm *igitur Mortalium nemo, quamdiu humanum corpus ſecum fert, certum, ac tutum vitæ ſtatum à periculo immunem ſibi vendicare queat: inde fit, vt poſt illuſtrem fidei confeſſionem, poſt labores, & exilia pro fide tolerata, magni plerumque viri, de Eccleſia alioqui optimè meriti in ſchiſmata, & hæreſes dilabatur: quod Lucifero* C*alaritano Epiſcopo accidiſſe tradit D. Hieronymus.* Et *poſt ipſum* Baronius *vbi luctuoſum tanti viri caſum, his verbis exaggerat. [Luxerunt fideles, ac pij acerbiſsimum tanti viri caſum, cùm viderent hominem honeſtiſsimis magna gloria pro Eccleſia* C*atholica perfunctum legationibus, tot confeſſionibus inſigniter nobilitatum, quot apices in Conſtantium ſcripſerat pro Athanaſio, & fide Catholica, totque martyria prepemodum exiſt-*

D. Hier. de Script. Eccl. Cæſ. Bar. to. 4. an. 362.

latum, quod annis exul in diuerſa loca fuerat deportatus: hominem coriphæum, & anteſignanum Catholicorum *in tam diuturno, & difficillimo prælio Arrianorum, poſitum inſtar Hieremiæ in columnam ferream, & murum æreum pro domo Dei Eccleſiâ* Chriſti, *hunc ipſum, inquam (proh dolor) poſt tot victorias, & erecta de perfidia debellata trophæa, ſub ipſo triumpho tam infæliciter à diſſenſionum auctore Diabolo ſuperatum, & ſeparatum ab Eccleſia eſſe, & planè proſtratum. Vt inde perſpectum ſit, quod ibidem* Cyprianus *docet; nimirum fidei confeſſionem exordium gloriæ non meritum iam coronæ eſſe; nec perficere laudem, ſed initiare dignitatem. Cùmque is tantùm, qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus ſit futurus, quicquid ante finem fuerit, gradum eſſe, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminum, quo iam culminis ſumma teneatur: quapropter idem rectè monet.* [*Nemo per* Confeſſoris *exemplum pereat, nemo iniuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam de confeſſoris moribus diſcat.*]

Cyprianus de vnit. Eccl.

At verò quæſtione in medium adducta rem egregiè proſequitur Vincentius Lirin. aduerſus prof. hæreſum nouit, ita ſcribens: [*Sed dicet aliquis.* Cur *ergo perſæpe diuinitùs ſinuntur excellentes quædam perſonæ in Eccleſia conſtitutæ, res nouas* Catholicis *annunciare? Recta interrogatio, & digna quæ diligentiùs, atque vberiùs pertractetur. Porrò huius rei cauſam ad Dei tentationem reuocat, quá*

Vincent. Lirin. de prof. Hæres. Nouit.

*Chriſtianorũ fidẽ hoc pacto ita in examen vocari decernit, vt inde aliorũ in fide conſtantiã, aliorũ contrà inconſtantiã probet: quamobrem prolato Deuteronomij teſtimonio quod eſt, [Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignũ, atq; portentũ, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus, & ſequamur deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis: non audies verba Proph. illius, aut ſomniatoris; quia tentat vos D. Deus veſter, vt palàm fiat, vtrũ diligatis eũ annon, in toto corde; & in tota anima veſtra] propoſitã cauſã ſic explicat. [Audiamus ergo S. Moyſen, & ipſe nos doceat; cur docti viri, & qui propter ſcientiæ gratiam ab *Apoſtolo etiã Prophetæ nuncupantur, proferre interdũ permittantur noua dogmata, quæ vetus teſtamentum allegorico ſermone Deos alienos appellare conſueuit, eò quòd ita ab Hæreticis ipſorũ opiniones, ſicut à Gẽtilibus Dij ſui obſeruentur.] Tandem concludit. [Luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdũ diuina prouidentia quoſdam Eccleſiarum magiſtros noua quædam dogmata prædicare patiatur, vt tentet vos, inquit, Dominus Deus veſter.]* Deut. 13.

Fateor equidem magnam hanc Dei tentationem, ac probationem eſſe, cùm eum, quem paulò antè fidei magiſtrum ac Catholicæ veritatis aſſertorem ad Eccleſiæ *magiſterium ſedentẽ omnes ſuſpiciebant, atq; ab eo fidei veritatẽ addiſcere cupiebant, praua dogmata, ac noxios errores ſub ſu-*

cata veritatis ſpecie repente diſſeminantem audiunt, quos nec citò quilibet propter ementitæ fidei præiudicium deprehendere valeat, nec ob antiquam magiſtri auctoritatem facilè audeat condemnare: Attamen id nos meminiſſe decet, fidei quoque, vt cæteris virtutibus, ſuum examen, ac probationem ſeruari: nec fidei coronam quemquam expectare poſſe, qui iuxta Apoſtoli ſententiam bonum certamen fidei non certauerit, & fidem ad finem vſque integram non ſeruauerit.

Verùm, vt omnem ſemel tum admirationem, tum ſcãdalum ab hominum animis propulſemus; poſtremam rationem addere lubet ex ipſo vniuerſi ordine deprómptam. Nemo enim quòd mala, ac ſcelera in orbe verſentur, iurè admirari debet, aut inde ſcandalum capeſſere, cùm ea non tam ad totius vniuerſi ornamentum, quam ad maiorem, & ampliorem diuinæ ſapientiæ gloriam declarandam conferant, quæ (vt Auguſtinus ait) ex malis præſtantiſſima interdum bona elicit. Atque hinc exploratum eſt, nec admiratione, nec ſcandalo dignum eſſe, quod hæreſes in Eccleſia graſſentur: Dei namque permiſſione, atque humanæ mentis corruptione ſemel in orbe conſtituta, veriſſimum illud Pauli pronunciatum agnoſcitur:
1.Cor. 1. *Oportere hæreſes eſſe, vt ex hæreſum tenebris clarior Eccleſiæ fides, & Catholicæ veritatis ſplendor erumpat, tum diuina ipſa ſapientia agente,*

qui in fide ſtabiles, ac conſtãtes probantur, omnib. manifeſti fiant. Quòd igitur nonnulli admiratione dignum cenſeant graues quoſdam viros, qui in Eccleſia præclari, ac ſingulari prudentia præditi videbantur, in hæreſes ruere, ac Hæreſiarchas effici, inde profectò accidit, quòd hæreſis naturam ignorant, quæ vt ardentiora ingenia, teſte Hieronymo, & naturæ donis locupletiora poſtulat: ita vix vnquam niſi per vitiorum gradus in animũ ſerpit: fit enim ſæpe numero, vt ij, quos externa facie bonos, ac probos iudicamus, non rarò maximis vitijs in animo laborent; tales profectò ſunt, qui in hæreſim incidunt, quæ ſcelerum omnium maximum eſt, quibus id commune eſt, vt plurimis vitiorum gradibus in eam deſcendant, quos paſſim Patres commemorant.

Atque inter hos principem gradum obtinet ſuperbia, vt teſtis eſt Aug. de Paſt. c. 8. his verbis. [Alia hæreſis, inquit, eſt in Oriente, *alia in* Aug. de Paſtor c.
Aegypto, alia in Meſopotamia; Diuerſis locis 8.
ſunt diuerſæ: ſed vna mater ſuperbia omnes genuit.] Secundũ tenet inuidia vt docet Cypr. ſerm. Cypr. ſerm. de
de zelo, & liuore. [*Ex inuidia (ait) charitas fra-* zelo, &
terna violatur, hinc adulteratur veritas; vnitas liuore,
proſcinditur, ad hæreſes & ſchiſmata proſilitur; dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur.] T*ertium inanis gloria, teſte Greg. ſuper* Greg. in
illud Iob. 6. R*eſpondete ſine contentione. Neque* Iob.

enim

enim inquit, Hæretici inquiſitionibus ſuis veritatem conantur aſſequi, ſed victores videri. Quartũ gulositas, ac ventris ingluuies, vt monet Apoſtolus Rom 6. [Rogo autẽ vos Fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis, huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.] Quintum Ambitio, Aerius enim & Thebulis, vt referunt Epiphanius in hæreſi Aeria- *norum, &* Euſeb. *lib.*4.*c.*21. *eo quòd in* Epiſcopatu *repulſam paſſi fuerint, hæreſes, ac ſchiſmata in Eccleſia excitarunt.* Sextum *luxuria ; vix enim vt teſtatur Hieronymus* Hæreticum *inuenias, qui caſtitatem colat. Septimum Amor ſui, & inobedientia, vt ſcribit* Cyprianus *li.*3.*Ep.*9.[Hæc(*ait*) *ſunt initia* Hæreticorum, *& ortus, atque conatus Schiſmaticorum malè cogitantium, vt ſibi placeāt, vt* Præpoſitos *ſuperbò tumore contemnant, ſic de Eccleſia receditur.] Plures adhuc vitiorum gradus hîc deſcribi poſſent, quibus ad hæreſim proceditur, quales ſunt cupiditas, elatio, proteruia, pertinacia, ſtudium nouitatis, curioſitas, contentio, criminatio, odium, ac plerique alij, qui paſſim à Patribus recenſentur. Ex quibus id nobis licet colligere, quod docet* Clemens *Rom. nimirum quamplurimos non ideo veritati, ac* Religioni *diuinæ aduerſari, quòd eis nequaquam ratio fidei conſtare videatur: ſed quia nimietate quodam peccatorũ preſſi eò præcipites feruntur, vt ne ea quidem credant,*

Epiph. de Aerian.

Euſeb. li. 4. c. 8.

Hieron.

Cypr. lib. 2. Ep 9.

Clem. li. 2. Recognit.

quæ oculis ſuis, aut intellectu conſpiciunt. Quis itaque mirari non deſinat, tot tamq́, ingentia vitia, quæ eò interdum maiora ſunt, quò à maioribus ingenijs erumpunt, magnos plerumque viros Hæreticos*, ac Schimaticos efficere.*

Hæc mihi, Patres Reuerẽdiſſ. in hoc Epiſtolæ exordio neceſſariò prælibanda fuere, vt quoniã ex Sacro, & Apoſtolico Epiſcoporũ collegio Marcus Antonius de Dominis olim Archiepiſcopus Spalatenſis, velut ex Oliuæ nucleo aſper oleaſter, vt Tertulliani verbis vtar, & ex ſuauiſsimæ fici papauere vẽtoſa, & vana caprificus erupit; vel certè quaſi nouus è cœlo Lucifer, atq́, è ſublimi Epiſcop. dignitatis arce deiectus non pridem in hæreſim corruit. Neminem non quidem veſtrùm (Patres ſapientiſſimi) quos iam pridem inuictum veritatis robur omni ſacrarum diſciplinarum genere munitum, præclaráque inuiolatæ fidei teſtimonia in Epiſco*palib. ſedibus collocarunt; ſed aliorum, quibus propter rerum ignorantiã res noua prorſus, atque inſolita videtur, huius viri lapſus moueat, vel in admirationem, aut ſcandalum rapiat.*

Quid enim in huius viri occaſu admiratione dignum actum eſt? Epiſcopus cecidit, quotnam ante illum Epiſcopi in hæreſim prolapſi ſunt, quos minimè admiramur? Nouatus *à quo Nouatiana hæreſis, annon Africanus Epiſcopus fuit? Paulus Samoſatenus Primas Antiochenus,*

mus, *Donatus Epiſcopus* Calamenſis. *Quid Eunomium Cyzici Epiſcopum, Neſtorium Conſtantinopolitanum Primatem, Dioſcorum Alexandrinum, Photium Conſtantinopolitanum, Photinũ Sirmienſem, Meletium Licopolitanum*, Eudoxium Conſtantinop. *& plures alios cõmemorem, qui fidei naufragium paſsi*, Eccleſiam *nonnihil ſuis hæreſibus perturbarunt. Id verò plerumq; Deo permittente fit, vt inde perſpectum ſit fidem non ex ſingularibus perſonis, ſed perſonas ex fide probari; neque vllum quantumuis* Epiſcopali *dignitate fulgentem, ſi improbè, & inhoneſtè vitam duxerit, tutam, ac perpetuam ſibi fidem polliceri poſſe. Improbi enim mores, & vita plurimis ſceleribus obruta viam facilè ad fidei excidium ſternunt: Id ſi in alio vnquam, certè in huius viri lapſa omnibus perſpectum eſſe poteſt, ſi quæ ipſum ad caſum impulerunt, cauſas explorare vellemus: illius enim adeo corruptum, ac licentioſum vitæ genus fuit (quod ſanè abſque grauiſsimorum virorum teſtimonio effari non auderem) vt omnibus his vitiorum gradibus, quos ante enumerauimus, neque paucioribus ad hæreſim tandem, & Apoſtaſiam peruenerit, quos in hoc operis limine minimè perſtringendos duxi, ne ſeueri Cenſoris potiùs quàm amici Monitoris officium ſubire videar.*

Quid ergo miramur Plantationem, quam non plãtauit Pater cœleſtis eradicari; ac leuem paleam

diſsipantis inimici ſpiritu ventilari, tentationumque afflatu ab Eccleſia euolare: iam inde purior frumenti maſſa in horrea Domini reponetur; & Eccleſiæ hortulus infructuoſa, immo peſtifera arbore inde exciſa vberiores fructus reddet. Certè *Pauli vox eſt, vt ſcribit* Cyprianus: *Cùm mali de* Eccleſia *exeunt non moueri, nec recedentibus perfidis fidem minui. Quid enim (inquit) ſi exciderunt à fide quidam eorum; nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuabit? Abſit: ſua enim non noſtra culpa pereunt, qui ſponte ab* Ec*cleſia recedunt.*

Intereà (Patres præſtantiſsimi) quoniam P*ſeudo*-E*piſcopus noſter libri cuiuſdã à ſe editi, quem de* R*epub. Eccleſiaſtica inſcribit, varijs hæreſum venenis imbuti: in quo etſi atra odia, & apertas furias in* Romanum *Pontificem, ac totam Eccleſiam* Catholicam *deſpumet; alterius tamen Iudæ proditoris inſtar fallacia oſcula fingens, ficto quodam fraternitatis iure, ac viciſsitudine profanam præfationem vniuerſo Sacro veſtro* E*piſcoporum* O*rdini velut dicatam offert; vana quadam (vt videtur) ac falſa ſpe tumidus, quòd liber tot titulis turpis, ex veſtri ſaltem Nominis fulgore nonnihil ponderis, atque auctoritatis apud homines, ſibi comparare debeat. Ego quidem, quod mei ſtudij, ac officij erga* Romanum Pontificem *communem omnium Chriſtianorum parentem, & Catho-*

Cypr. li. 5. Ep. 3. ad Cor.

licam Eccleſiam *ratio poſtulat; cùm vltrò librum mihi examinandum, ac varios illius errores, ac hæreſes detegendas, ac refellendas ſuſceperim; hunc qualemcunque laborem vobis* (Reuerendiſsimi *Patres*) *eo Conſilio donatum, ac dicatum volui, vt id debiti officij ſingularis meæ erga vos, velut Eccleſiæ* Patres; *ac fidei columnas, reuerentiæ ac obſeruantiæ redderem. Tum verò* Sacro *veſtro* Epiſcoporum *collegio ex iniuſta veſtri Nominis vſurpatione, quam impurus, ac verſipellis Apoſtata perperam turpi illi ſuo partui vendicauit, irrogatam iniuriam, ac velut inuſtam labem humilis, ac ſincerus Eccleſiæ filius, & D. D. V. V. R. R. ſeruus, exiguo licèt, tamen Catholico munere abſtergerem. Valete in Domino. Datum Lugduni decimo quarto* Cal. *Iulij* 1618.

APPROBATIO.

OPus hoc inſcriptum, Parænefis Catholica, ad Marcum Antonium de Dominis, auctore. R. P. Zacharia Salutienſi, noſtri Ordinis Lectore & Concionatore; Ego. F. Marcellinus à Ponte belle Vicini, eiuſdem inſtituti profeſſus & Concionator, de mandato admodum R. P. Pauli à Cęſena, Ordinis noſtri Generalis attentè per legi; nec quicquam in eo aut Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium reperi, quapropter dignum cenſeo quod typis excudatur. Datum Lugduni in Conuentu Capuccinorum. 26. Septembris anni à virgineo partu. 1618.

Fr. Marcellinus à Ponte belle Vicini.

FACVLTAS ADMODVM R. P. Generalis.

Fr. PAVLVS A CESENA ORDINIS fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum Miniſter Generalis.

OPus R. P. F. Zachariæ à Salutio, Ordinis noſtri Concionatoris, ac Lectoris, quod inſcribitur Parænefis Catholica ad Marcum Antonium de Dominis, olim Epiſcopum Spalatenſem, nunc verò à S.R.E. Apoſtatam, & in Angliam transfugam; per R. P. F. Marcellinum à Ponte belle-vicini noſtra authoritate reuiſum, & approbatum, tenore præſentium typis mandari concedimus; obtenta in primis iuxta Sacroſ. Trid. Conc. decreta Ordinariorum, & ad quos ſpectat licentia. In quorum fidem &c. Datum in loco noſtro S. Bonauent. Romæ die 6. menſis Aprilis 1618.

Fr. Paulus à Ceſena Generalis.

SVMMA PRIVILEGII A CHRI-ſtianiſsimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos decem annos, à die impreſsionis primæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumq; quouis modo ac ratione conetur librum, qui inſcribitur *Paræneſis Catholica ad Marcum-Antonium de Dominis, olim Archiepiſcopum Spalatenſem, nunc verò à S. R.Eccleſia, Apoſtatam & in Angliā transfugam.* Auctore ac monitore F. Zacharia Bouerio Salutienſi Ord. Min. S. Franciſci Congreg. Capuccinorum: præter Ioannem Charuet, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus conceſſerit ſub pœnis originali diplomatè contra delinquentes expreſsis. Datum Pariſiis 28. die menſis Iunij 1618.

De mandato Regis
ſignatum

SALOMON.

Peracta fuit impreſsio vltima die Septembris 1618.

Approbatio Doctorum.

PAræneſim iſtam ad Antonium de Dominis approbo Catholicam, & teſtor eo nomine dignam, quæ ad multorum vtilitatem in lucem prodeat. Lugduni 20. Aprilis 1618.

F. ROBERTVS BERTHELOT
Epiſcopus Damaſci.

EGo Ioannes Fontaine Sacræ Theologię doctor, C. Beatæ Marię inſulæ Barbarę, & librorum Cenſor, dictam Paræneſim tanquam Catholicam, & doctrina refertam, luce dignam Cenſeo, Lugduni 6. Maij 1618.

I. FONTAINE.

Conſenſus Cauſidici Regis.

HVnc librum, qui inſcribitur *Paræneſis Cathol. Pars I. ad M. Antonium de Dominis*, typis mandari permittimus, & ne citra eius qui editionem curauit, conſenſum quis reducat, interdicimus. Datum Lugduni 20. Aprilis 1618.

BOLLIOVD

Permiſsio loco-tenentis Generalis.

PErmittitur Ioanni Charuet, vt typis hunc librum, qui *Paræneſis Catholicæ pars prima ad M. Antonium de Dominis* inſcribitur, mandet, cum prohibitionibus in tali caſu indicatis. Datum Lugduni 20. Aprilis 1618.

Synopſis Libri.

Examen Tituli operi M. Antonij de Dominis præfixi. pag. 13
Examen præfationis ad Epiſcopos. pag. 30
Examen libelli cuius inſcriptio eſt, M. Antonius de Dominis ſuæ profectionis Conſilium *exponit.* pag. 123
Duodecim Conſilij *capita.* 131
1 Caput Conſilij, *Diuina vocatio.* 132
2 *Suſpecta veritas Romanæ* Religionis. 150
3 Innatum *deſiderium videndæ vnionis omnium Eccleſiarum.* 168
4 *Romanæ Religionis abuſus.* 176
5 *Diſcrepantia* Patrum *& Theologorum in, doctrina fidei.* 183
6 Sectariorū *doctrinæ veritatis, & antiquitas.* 190
7 *Nouorum articulorum fidei in Rom. Eccleſia confictio.* 210
8 *Necis imminentis periculum.* 230
9 *Vox cœleſtis* 238
10 Charitas *Chriſti.* 245
11 F*alſus* P*apatus.* 262
12 F*uga errorum & abuſuum.* 280
Conſilium reditus. 297

35-T-H-1

PARÆNESIS CATHOLICÆ

Ad M. Antonium de Dominis olim Archiepiſcopum Spalatenſem, nunc verò à S. R. E. Apoſtatam, & in Angliam transfugam.

PARS PRIMA.

QVò quò, Marce Antoni, præceps ruis? Quid profectio, quid diſceſſus, vel potius quid caſus, quid occaſus hic tuus ſceleris, aut funeris portendunt? Maximum certè & ſcelus, & funus: quod enim horribilius crimen, quàm in propriæ matris necem conſpirare? Quàm Chriſtum, ac Euangelium proſcribere? Quàm fixa, & immota fidei dogmata conuellere? Ex filio paricidam; ex Eccleſiæ alumno, ſæuum ipſius perduellem; ex Catholico, ac Religioſo homine Apoſtatam; ex Paſtore, idolum; ex Epiſcopo, lupum; ex Præſule, transfugam;

ex fidei magiſtro, tandem Schiſmaticum, & Hæreticum fieri? Quodnam verò magis deplorandum funus, quàm cùm, clauſo fidei oculo, mens hæreſeos gladio lethaliter ſauciata, velut transfixo gutture, Deo petit? cùm mortuum membrum, quod illuſtre erat in corpore, à cæterorum membrorum compage diſſolutum, à totius corporis vita præſcinditur? Cùm is, qui in Eccleſia ad fidei magiſterium ſedebat, repentino infidelitatis morbo correptus, in hæreſin corruens, ad animæ necem rapitur; atq; omni (quod vereor) vitæ, ac ſalutis ſpe deſtitutus; à Spalatenſi ſede in Angliam vſq; ſepeliendus aſportatur? Quid, quæſo, lachrymabilius, quàm eum, qui inter Eccleſiæ lumina aliquando aſſeruabatur, flante hæreſeos Aquilone extingui? Qui ex Epiſcopali fulgore, ac dignitate, illud ſibi nomen, ac titulum comparauerat, vt lux mundi appellari poſſet: percrebreſcente errorum caligine tandem ſub vitalis lucis occaſum in miſerãdas tenebras deſinere? Qui ad condiendas hominum mẽtes, non tam verbo, quàm exemplo, non ſolùm vita, ſed etiam doctrina, ſal à Domino in Eccleſia cõſtitutus erat, jam nunc Hęreticorum pedibus atteri? Qui ad propulſandos hæreſum, ac ſchiſmatum
im

impetus velut ciuitas in Venetæ ditionis monte ædificatus erat, modò quaſi abrupto muro, & antemurali ſolo æquato, qua ſibi fugam parauit, Anglica hac profectione, depopulatæ ciuitatis ſimulachrum omnibus miſerandum, nobis ante oculos ponere? Scito vias tuas (Marce Antoni), & vide quid feceris: ſcelus quidem tuum perhorreſco, at funus vbertimis lachrymis proſequor. Quapropter indignum facinus, lingua, voce, ac Chriſtiana correptione mihi aggrediendum propono, vt te à tam miſerando funere, ſi quomodo fieri poſſit, Deo opem ferente, excitem.

Vaſtum equidem illum, ſuperbum, immanem Gigantem, virum à fide, ac Religione ſpurium Philiſtæum; vita, moribus, lingua incircumciſum; blaſphemo ore, profanis vocibus, profuſis contumeliis, Dei Eccleſiæ ferociter inſultantem; inermis puer inter fratres Minor, imbellis, obſcurus, ignotus, ludens olim quodammodo inuaſit, confodit, proſtrauit, ac tandem non alio, quàm enſe proprio iugulatum interemit. Equidem, M. Antoni, dum Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primatis dudum regnorum titulis, à quibus miſerè excidiſti, gloriaris, atque inter Eccleſiæ proceres, è 1. Reg. 17.

quorum numero, & ſubſellio iam deiectus es ſtatu, dignitate, auctoritate, te ipſum erigis; nihil niſi alterius Goliath Giganteam ſtaturam, ac vultum præteferre geſtis? Diſceſſum tuum à Romana Eccleſia, ac profectionē ad diuiſos toto orbe Catholico Britannos narras: quid hoc facto præterquam à Catholica fide, ac Religione, quam Romana colit Eccleſia, ſpurium, ac degenerem te prodis? Denique ſi quæ te cauſæ ad impiam hanc defectionem impulerint, inueſtigamus, ſi iniqua conſilia diſcutimus, ſi blaſphemas, ſi maledicas, ſi petulantes voces, quibus in Romanam Eccleſiam oblatras aure percipimus; quem te alium præterquam nouum Philiſthæum, non genere, ſed vitio, Dei populi hoſtem, vita, & moribus turpem, & incircumciſum; Apoſtatam, Hæreticum, Schiſmaticum in Dei Eccleſiam ferocientem, prædicas?

Non igitur mirabere ſi obſcurus, ſi ignobilis, ſi abiectus ego inter tot, ac tam præclaros Eccleſiæ bellatores, ac propugnatores, adde etiam inter tot Religionis noſtræ fratres, & collegas maiores natu, ac doctrina præſtantiores, minor ego te Gigantem adorior, certámque de te (Deo iuuante) mihi in hoc conflictu victoriam polliceor. Neque enim

enim tam grauis pugna eſt, aut pugil adeo viribus excellens; vt robuſtiorem, aut validiorem Agoniſtam expoſcat. Non me terret ſacra illa Primatis maieſtas, à qua excidiſti; non Epiſcopi nomen, quod impia defectione labefactaſti; non liber ampullis, ac faſtuoſis, imò factioſis verbis potius, quàm aliqua doctrinæ ſoliditate reſperſus. Tu venis ad nos cum gladio, haſta, & clypeo; Tu humanis (ne quid dicã grauius) armis indutus aduerſus Dei Eccleſiam incedis, quibus eam debellare poſſe ſperas: neque enim niſi humanis conſiliis, humanis rationibus, humanis doctrinis, humanis dogmatibus, humana fide à diuina penitùs diſcrepante, quicquid contra tibi perſuadeas, contra nos pugnas: & ſi quid diuini, fortè tibi vſurpas, mox humanis, ac profanis nouitatibus labefactas. At meminiſſe debes totum, quod humanum eſt, labile eſſe; nihil niſi diuinum eſſe ſtabile, ac diuturnum, *Non ſaluatur Gigas in multitudine virtutis ſuæ.* Diuina quippe virtus omnem humanam altitudinem aduerſus illam ſeſe extollentem proſternit. Ego verò, cùm tuo hoc armorum genere, præſertim in rebus fidei, vti nunquam didicerim; Pſal. 32.
quin etiam illud diuinis rebus, quas non

proprio ingenio, aut humano ſpiritu: ſed Diuinæ auctoritatis, atque Eccleſiaſticæ normæ regula metiri opus eſt, quàm maximè obeſſe ſentiam, atque ob id non poſſim ſic armatus incedere; En ad te venio non in haſta, aut gladio, aut clypeo, ſed planè inermis in nomine Domini exercituum, Dei agminum, quibus exprobraſti. Neque enim humanis, aut profanis: ſed Diuinæ planè virtutis, (qua nihil formidabilius) ac Catholicæ veritatis (qua nihil fortius eſt) præſidiis munitus accedo: his ſi quidem non aliis armis tecta ſemper de ſuis hoſtibus triumphauit Eccleſia. Quid plura? Tu in curribus, tu in equis: quibus tibi turpem fugam, ac diſceſſum à Romana Eccleſia paraſti, nos in Nomine Domini Dei noſtri magnificabimur, quo duce, ac protegente ſpernemus te inſurgentem in nos. *Pſal.* 43.

Neque tamen interea Gigantis illius inſtar, paruulum aduerſus errores tuos pugnantem deſpicias, nam & paruus lapis olim ingentem illam, ac terribilem Nabuchodonoſoris ſtatuam, tam mirè fabrefactam ad fauillam vſque comminuit; paruus ignis non ſemel maxima ſyluarum incendia peperit: familiare quippe Deo eſt vt ignobilia & contemptibilia quæ in mundo ſunt

Dan. 2.

1. *Cor.* 1.

ſunt eligat, vt confundat fortia.

Audio equidem, quid in præfatione tui libri ſub finem à nobis expoſtules: Petis enim aliquem è numero Epiſcoporum tibi Antagoniſtam fieri; reliquos omnes, iure Epiſcopatus tibi acquiſitô; velut tibi minimè æquales in pugilatu recuſas, petis etiam vt amicè pacatéq; tecũ agatur. Primũ iniuſtè poſtulas (M. Antoni) te enim vel ad Ius canonicum; cuius ignarus eſſe non debes, vel ſi mauis ad ipſas Scripturas prouoco. Num ignoras Epiſcopos ſimulac ſchiſmate, vel hæreſi corrupti fuerint, ipſo ſacro iure ab Epiſcopatus ſede pelli, nec vlla Epiſcopatus iura ſibi retinere, quod tibi paulò inferius citatis propriis canonibus fuſiùs demõſtrabitur. Quò fit vt cùm ab Epiſcopali poteſtate, ac dignitate; tuo vitio excideris, paria tecum (ne dicam maiora) Sacerdotij iura, Sacerdos quilibet, iure ſibi vindicare queat. Maiora ferè dixi, ſi quidem & ipſum Sacerdotij ius, quod nobiſcũ habes commune, non parum ex hac defectione tua tibi imminutum eſt; quod tamen apud alios integrum manet. Quòd ſi tibi minùs arrident ſacri Canones, æquum ſanè eſt, vt ſaltem ſacra Euangelij pagina tibi non diſpliceat, ſed eidem acquieſcas: Adeò-

ne Euangelicæ legis, ac Diuinorum præceptorum immemor es, vt iam mēte exciderit graue illud fraternæ correptionis præceptum, quo non tantùm Epiſcopis, ſed & cuilibet Diuinam legem profitenti præcipi-
Matt. 18. tur: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corri-*
Luc. 19. *pe eum.* Si cœleſte hoc Diuinæ legis præſcriptum agnoſcis, profectò neminem (cùm tam miſerè in errorem lapſus es) à tui correptione arcere, aut debes, aut potes: quin potiùs quemlibet te piè admonentem audire opus eſt, niſi tandem ſpreto Eccleſiæ conſilio, malis ad Ethnicos, & Publicanos relegari. Vide igitur, quàm hoc in primis à nobis iniuſtè poſtules. Alterū porrò facilè à me obtinebis: cùm enim nihil me magis, quàm tua ipſius ſalus ad ſcribendum moueat, neque alius huius ſuſcepti laboris mihi præſtitutus ſit finis, quàm vt erroribus tuis, tibi (vt petis) ſignificatis, ad ſaniorem mentem reuocatus, & ſententia in melius mutata, eos nobiſcum abomineris: Non alium profectò me, præterquam monitorem manſuetum, imò deprecatorem amicum ac ſuauem te habiturum ſpondeo: quin imò ſi forte aliquod inter ſcribendum verbum è calamo exciderit, quod feruidum aduerſarium potiùs, quàm amantiſſimum
 moni

monitorem deceat, id non alia ratione accipias, rogo, quàm ſi ex Chriſtianæ charitatis igne ſcintilla erumpat.

Interea verò vt aliquam inſtituti mei rationem non ignores, paucis illam accipe. Nuper cùm libellum tuum, in quo profectionis tuæ, ſeu potius defectionis ab Eccleſia Romana, initum apud te conſilium exponis, apud Lugdunenſes noſtros Bibliopolas perquirerem; fortè in craſſius quoddam volumen, mihi antea ignotum incidi, te auctore, Londini excuſſum, cui titulus eſt. *De Repub. Eccleſiaſtica, libri decem.* Cuius & priorē libellum fronti affixum reperi. Diligentiùs cùm librum exploraſſem, primam illius partem duntaxat, quatuor libros complectentem eſſe conſpexi; poſterior reliquorum librorum pars, vel quòd nondum à te confecta, vel necdum typis mādata fuerit, ſaltem ad manus meas nō peruenit. Libellum quidem totum perlegi; reliquum autem volumen, neque totum, neque integrè, ſed præcipua quædam duntaxat illius capita percurri; Ex quibus tamen quidnā de toto opere iudicandum eſſet, conijcerem, obſtupui: Res enim planè tanto Antiſtite, cuius tu titulum præfers, mihi omnino indigna viſa eſt; cùm enim graue opus aliquod expecta-

rem, quale in priori tuo libello inſinuaue-
ras,egregiũ, illuſtre, miro ingenio elabora-
tum,ſcientia, atque eruditione plenum; vt
Mal.2. Paſtorem,vt Primatem, vt Sacerdotem de-
cebat,*cuius labia cuſtodiunt ſcientiam,& legem
requirũt de ore eius:* Fateor planè, nõ niſi ſor-
didum opuſculum,rerum colluuiem, inuo-
lutas ſententias, atque à propria ſede deie-
ctas,verborum ſalebras, malè conſuta Scri-
pturarum teſtimonia,peius,& intempeſtiuè
citata, peſſimè interpretata, Patres perpe-
ram inculcatos, Concilia inſulſè vſurpata;
rationes adeò rudes,ac pueriles, vt nec qui-
dem veritatis vultum præſeferant: deni-
que ita leuia omnia,futilia omnia,inerudita
omnia,inſulſa omnia,vitioſa omnia, hæreti-
ca ferè omnia obtruſiſti, vt maximas, ac
pluſquam Cimerias inde nomini tuo; exi-
ſtimationi, famæ, gloriæ, quam tibi ex hoc
opere pollicebaris (necdum enim, quæ tuæ
ſalutis ſunt grauiora attingo) tenebras offu-
deris.Adeò vt ſatis mirari non poſſim, quo
pacto tam fœdi,impoliti,inculti, ac ſordidi
operis te parentem,vel iactes, vel agnoſcas.
Quapropter dum tua perlegerem, duo mi-
hi in animo verſabantur: Primùm, num ri-
dendus potiùs,ac cõtemnendus,quàm cen-
ſura aliqua perſtringendus eſſet liber: cùm
enim

enim nihil præterquam vulgares, tritas, obſoletas, ac toties Eccleſiæ gladio iugulatas, & confoſſas Hæreticorum ſententias in eo prodas, quidnam magis opportunum videbatur, quàm reſponſionis loco obiecta tam leuia, & abiecta paruipendere? At quamquã id facilè quorumdam amicorum ſenſui deferrem, qui in hanc ſententiam propendere viſi ſunt, vt librum contemnendum putarent, nunquam tamen in eam opinionẽ adduci potui, vt tui ipſius (qui illius auctor es) ſalutem riſu dignam, aut aſpernandam arbitrarer, pro quo Chriſtus proſcriptus eſt, & Crucifixus. Quid? Annon vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo? Annon, quæſo, hæc non tam in orbe Chriſtiano, ex ipſius Dei præſcripto, quàm in ipſa humanorum membrorum ſocietate, ac corporis monarchia, cuius natura dux eſt, lex ſancita agnoſcitur; vt frater fratri, membrum membro mutuæ viciſſitudinis iura reddat, ac ſuppetias ferat. Ecce frater incidit in latrones; inter errorum nemora iacet plâgis, ac vulneribus confoſſus, & adhuc fortè ſemiuiuus palpitat. Heu-ne pertranſibit Sacerdos, ac illius vulnera alligare contemnet? Teſtem Deum inuoco in animam meam, M. Antoni, quod ſuper te, ita commota ſint omnia

viſcera mea; vt pro vulnerato, non tam omnia mea, quàm meipſum erogare optem: ſin verò non vulneratum, ſed mortuum offendero, ſaltem te vt mortuum lugeam. Alterum, quod animus apud ſe volutabat, illud erat, quamnam potiſſimùm tui operis partem examinãdam aggrederer. Iam pridem, me ignorante, præcucurrerat libellus, quem Conſilium tuæ profectionis inſcribis; vt velut defectionis tuæ nuncius, te in orbe Apoſtatam prædicaret: non ignorabam è Flandria præſertim, nonnullas emerſiſſe huiuſce tui libelli cenſuras, quas ſi cãdidè, vt par eſt, excepiſſes, atq; illas altè animo tuo infixiſſes, facilè te ab impio conſilio, & ab inſtituto perditionis itinere reuocaſſent; planè mihi ſuperuacaneum videbatur noua cenſura tam tenuem libellum perſtringere; ſed eo prætermiſſo, poſterioris operis molem, nullo adhuc Cenſore condemnatam, aut impugnatore dirutam aggredi perſuadebar. Verùm cùm libellus libro inſertus, in librũ, vel ſaltem in libri partẽ euaſerit, ſatiùs mihi viſum fuit integrum totius voluminis examen adoriri, tot partibus conſtans, quot volumina, vel hactenus ſingillatim abs te edita ſunt, vel in poſterum edentur. Omnia verò ita candidè, ita ſyncerè, ita luculenter, atque

(vt petis)

(vt petis) ita benignè, pacatéque à me tecum diſcutientur, vt παραινέτης potius, quàm aduerſarius apud te haberi velim: vt hoc tandem diſcas me in primis ſyncera tantùm rerum veritate delectari; deinde non odio, nō maleuolentia, non furore, non animi petulantia, quod abſit; ſed pia tantùm, ac ſuaui erga te Chriſtiana charitate commoueri. Quæ igitur in hac prima parte Parænesis diſcutienda ſunt, hæc erunt Titulus operi præfixus. Epiſtola ad lectorem. Præfatio ad Epiſcopos. Poſtremò libellus, quem Conſilium tuæ profectionis indigitas. In ſecunda verò, quæ præſtò eſt, reliqua quæ quatuor primi tui voluminis libris aduerſum nos diſputas, Deo, ac veritate præeũte examinabimus. In primis ergo titulum operis diſcutimus.

EXAMEN TITVLI, QVI EST De Republica Eccleſiaſtica, libri decem, Auctore M. Antonio de Dominis Archiep. Spalatenſi.

VIx os ad effandum pandis (M. Antoni) mox tria vitiorum monſtra, ne quidem fanda, inde erumpunt, quæ partim ex intellectus euerſione, partim ex praui affectus corruptione, velut ex fœtida colluuie orta, primam tui libri faciem conſpurcant. Primum eſt, quòd librum de Repub. Eccleſia-

ſtica inſcribis, corruptus ab hæreſi, vel à ſchiſmate intellectus, ſemper errores, ac vitia parit. Vnde nam putidam, ac ſtercoream hanc inſcriptionem tibi hauſiſti (M. Antoni) ex qua Eccleſiaſticã Monarchiam, à Chriſto inſtitutam, in Rempub. degeneraſſe nobis colligendum obtruderes? Num eam ex puro, ac nitido ſacratum literarum fonte? Num ex ſacra Patrum doctrina? Num ex Oecumenicis Conciliis ortam tibi comparaſti, vt in titulum erigeres? Haud ſanè, neque enim vnquam ſacræ literæ Eccleſiam, Rempub. eſſe dixerunt, aut rerum publicarum more gubernari. Habes, Eccleſiam, Regnum, ac Monarchiam appellari à Dan. Exercitum ordinatum à Salom. cui dux, ac Imperator vnus præeſt. Ouile à Ioan. cui præſidet Paſtor. Domum à Paulo, quæ vni Patrifamilias ſubiecta eſt. Nauem à Petro, quæ ab vno Gubernatore regitur: Rempub. verò nunquam.

Dan. 2. Salom. cant. 6. Io. c. 10. Paul. 1. Tim. 3. 1. Pet. 3.

Ex Patribus verò, quis vnquam in hanc tuam inſcriptionem conſenſit? Cùm nemo ſit, qui Reipub. nomen, & appellationem, qũa Eccleſiæ Monarchia proſcinditur, procul ab ipſa effuganda non ſenſerit; quippe qui Eccleſiam non Democratica, aut Ariſtocratica, ſed Monarchica gubernatione admini

adminiſtrari cõſtanter aſſeruerint.Inter hos ſunt Clemẽs Romanus epiſtol.ad Iacobum, Origenes ad Pſal.1, Athan.ep.ad Fœlicẽ. Baſilius ad c. 2. Eſa. Cyrillus Hieroſol. cathecheſi.2.Chryſoſt. hom.82.in Ioã. Naziazen. orat.26. Cyprianus ep.55. Hilarius ad pſal. 131.Ambroſ.ſerm. 68,Optat. cont. Donat. libr.2.Hieron.ad c.16.Matth. Auguſt.ſerm. 5. in feſto Petr. & Pauli. Quibus omnino ſubſcribunt œcumenica, ac orthodoxa Concilia, Nicænũ. 1. can. 39. Arab. Sardicenſe c.4.Conſtantinopolit.1. can.3. Epheſin. ep. ad Cœleſtin. Chalcedonenſe act. 1. vti fuſiùs ſuo loco poſthac demõſtrabimus, cùm ſingula à te obiecta diluemus. Vis noſſe vnde hic tibi titulus prodierit? Non aliunde profectò, quàm ex Lutheranorum, ac Caluinianorum fecibus, ac latrinis. Docet id apertè Lutherus in lib.de captiu.Babil.Melanchton lib.de poteſtate Papæ, Brentius in prolegomenis, & cum ipſis totus Lutheranorum grex, docet id quoque Ioan. Caluinus Inſtit.lib.4.c. 11.§. 6. cum tota ſua Caluinianorum turma. Vides, quàm egregios huius tituli auctores, ac patrinos tibi vendices. Si iam Lutheranus, aut Caluinianus es, hæc te certè non mouebunt, quãdoquidem doctrinæ affinitate, & conſanguinitate te

ipſis

ipſis coniunctum gloriaberis: At ſi Hæreticorum nomina, ac dogmata, quæ aliquando nobiſcum deteſtatus es, vt videris, perhorreſcis: pudeat te homines tam fœdos, ac inhoneſtos primigenio tuo fœtui patrinos aſciſcere, ex quo fieri opus ſit, vt ex illorum turpitudine, perpetuas, ac indelebiles, nõ tã fœtus, quàm parens ipſe ſibi maculas contrahant. En quàm malis auibus, ac infœlicioribus auſpiciis tuus hic liber in lucem erumpit, quamq; infami hoc titulo, quem fronti illius inſcribis, infauſta, ac funerea ipſi omineris: cùm eo perſpecto, vix natus liber, velut ſuomet indicio proditus, ac proprio teſtimonio ſceleris conuictus, cum ſuo parente, omnium calculis, ad necem iudicetur. Habes primum tui operis vitium, venio ad ſecundum, quod poſteriùs emergit, cùm ais.

Auctore M. Ant. de Dominis Archiepiſcopo.

PAtere veritatẽ (M. Antoni) prauæ, ac iniuſtæ affectationis, nedũ temeritatis hoc vitium eſt. Archiepiſcopi nomen, ac dignitatem temerè tibi vſurpas, cùm ab ea manifeſtè excideris, cùm primùm à ſummo Pontifice, ac Romana Eccleſia, aperto, ac pertinaci ſchiſmate diſſutus ad Hereticos aufugiſti: Neque eò contentus, ſchiſmatis, ac hæreſum

reſum magiſtrum palàm teipſum profeſſus es. Num ignoras apud ſacros Canones, Hæreticos omnes, ac Schiſmaticos, in primis, omnibus bonis, ac honorib. expoliari? Can. cùm ſecundum. de Hæret. in 6. tum nihil habere poteſtatis, ac iuris in Eccleſia, 24. q. 1. c. didicimus, vbi Cyprianus lib. 1. ep. 6. in Canonem receptus, ait. *Didicimus omnes omnino Hæreticos, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac iuris*, & ſeq. ca. qui contra. Liberius proprio honore, ac dignitate ſpoliat, eos qui contra pacem Eccleſiæ nituntur; *Qui*, inquit, *contra pacem Eccleſiæ nituntur, ſi dignitatem, aut cingulum Militiæ habeant, nudentur, &c.* Denique Lucius 3. Hæreticos Eccleſiaſticis officiis, ac beneficiis priuat. *Præſenti* (ait) *nihilominus ordinatione, ſancimus, vt quicunque manifeſtè fuerint in hæreſi deprehenſi; ſi Clericus eſt, vel cuiuſlibet Religionis obumbratione fuſcatus, totius Eccleſiaſtici ordinis prærogatiua nudetur; & ſic omni officio, ac beneficio ſpoliatus Eccleſiaſtico, ſecularis relinquatur arbitrio poteſtatis animaduerſione debita puniendus.* Idem ſtatutum habetur l. inter cæteras de Iud. Sam. hæret. T. 2. in l. Nouel. Theodoſij 11. §. quid ſenſibus, & l. Arrianis C. de Hæret. & Manich. Neſcis, M. Antoni, Parricidas, & eos, qui in parentum necem conſpirant, pa-

c. cùm ſecundũ. de Heret. in 6.

Liberius in ep. ad Athan.

Luc. 3. in c. ad abolendã. de Heret. extra. §. præſenti.

terna hæreditate, ac bonis omnibus, præter cætera grauiora ſupplicia expoliari. Tu verò eiuſdem prorſus criminis reus, tuomet teſtimonio conuictus; Cùm primùm in Summi Pontificis, & Rom. Eccleſiæ, quos nobiſcum parentes olim agnoueras, necem conſpirare, ac impia huiuſce tui libri in eos tela contorquere cœpiſti; Archiepiſcopalem dignitatem, quam ab ipſis dono, ac liberalitate acceperas, tibi integram manere poſſe exiſtimas? Certè mentem tuam mihi aſſequi videor, optares ſimul & Epiſcopus eſſe, & Hæreticus, vel Schiſmaticus; velles Epiſcopatum ſimul cum hæreſi, ac ſchiſmate conſuere. Hæc Eutichetis, hæc Photij, hæc Neſtorij, hæc Dioſcori, hæc Pauli, ac pluriũ Hæreticorum olim libido fuit; quæ nunc tua mens eſt: at id fruſtra peroptas. Teſtis eſt Cyprianus, *Epiſcopus eſſe non poteſt, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem.* Qui Petri cathedræ communione non conſociatur, qui extra Romanam Eccleſiam Epiſcopatum gerit, hoſtis eſt, profanus eſt, teſte Hieronymo: *Non noui Vitalem* (inquit) *Meletium reſpuo, quicunque tecum non colligit, ſpargit.* Non Simoni mago, non Hæretico, non Schiſmatico cuipiam dictum fuit, paſce oues meas, ſed Petro duntaxat: quapropter qui Romanam

Cyprianus epiſt. libr. 4. ep. 2.

Hieron. in ep. ad Dam. pa.

cathe

cathedram ſuper Petrum, Domini voce, fundatam contempſerit, qui Eccleſiaſticæ vnitatis originem ab ea profectã non agnouerit, qui poteſtatem diuino iure illi partam ſchiſmate concitato eneruare, aut conuellere præſumpſerit, ſiue is Epiſcopus, ſiue Archiepiſcopus fuerit, aut alia Eccleſiaſtica dignitate fulgẽs; id certò ſciat omni ſe Epiſcopali munere, ac dignitate defunctum, haud ſecus quàm inutile ſarmentum æterno igni paratum inter Hæreticos, aut Schiſmaticos deputari. Vide (M. Ant.) quid tibi ex hac profectione tua ad Hæreticos, & à Romana Eccleſia defectione, nominis, ac appellationis tibi relictũ fuerit. Cùm enim neque Epiſcopi, neque Archiepiſcopi, neque Primatis titulo, quo antea cùm noſter eſſes, inter cæteros in Eccleſia fulgebas, iam potiri queas; ſolùm tibi M. Antonij transfugæ, Apoſtatæ, Schiſmatici, Hæretici, Romanæ Eccleſiæ perduellis nomẽ integrum manet. Porrò vt tertium nobis monſtrum effingas addis,

SPALATENSI.

NVgaris (M. Antoni) cùm te Spalatẽſem Epiſcopum prædicas. Spalatenſis Epiſcopus, Spalatenſem Eccleſiam ſibi creditam ſana doctrina imbuit, ac optimis vitæ

exemplis ædificat; Spalatenſem gregē omni ſtudio, ac diligentia curat, Spalatenſes oues, optimi Paſtoris inſtar, tā tenero amore proſequitur, vt ab ipſis auelli, nec ipſa morte poſſit. *Bonus Paſtor*, ait Saluator, *animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. Tu ne Spalatenſis Archiepiſcopus, qui creditā, ac deſponſatam tibi Spalatenſem Eccleſiam non ſolùm virulentis Hæreticorum dogmatibus conſtuprare, atque è Chriſti ſinu auellere omni ſtudio conaris; verùm & hoc tuo turpi lapſu, quem velut iamdudum corruptæ mentis nunciū, atque improbæ vitæ teſtem, nobis offers, ferè ad interitum rapis? Num ignoras ſcandalum Paſtoris, ouium eſſe necem: *qui enim* (vt Auguſt. ait) *malè viuit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, oues necat.* Tu ne Spalatēſis Archiepiſcopus, qui gregem non curas, ſed interficis: non paſcis, ſed mactas: *Mali enim paſtores*, ait idem Auguſtin. *parum eſt, quòd oues languentes non curant; ſed fortes, & pingues necant.* Quis, quæſo, gregem interficit, & trucidat? Quis oues mactat, & perdit? Niſi qui ſub ouina pelle lupus deliteſcit. Olim quidem Spalatenſis Epiſcopus eras, cùm Spalatenſes oues ſanæ, ac Catholicæ doctrinæ pabulo reficiebas; ſed ignoſce (M. Ant.) flens dico, iam

Ioan. 10.

Aug. lib. de Paſto-rib.

iam non Spalatenſis Epiſcopus, ſed ex Epiſcopo in Spalatenſem lupũ, ouina pelle contectum degeneraſti, cùm primùm inſidioſa hac tua verborum calliditate ouibus ſchiſma, ac hæreſim propinas, vt trucides, & mactes, & perdas. Tune Spalatenſis Epiſcopus, qui iam abhinc triennio, vel quadriennio, propria ſede derelicta, impiam, ac ſchiſmaticam inter Hæreticos peſtilentiæ cathedram tibi quæſiuiſti? Qui proprij gregis, atque adeo Eccleſiæ Catholicæ deſertor ab Apoſtolica ſede, & à Catholicorum collegio in Angliam transfuga, teipſum ſponte abdicaſti? Qui tandem domui tuæ malè præpoſitus, atque ouium non Paſtor, ſed mercenarius, cùm lupis obſiſtere, ac ſanguinem pro ouibus profundere deberes, turpi fuga oues deſeruiſti? Neque id ſatis tibi viſum fuit; fœdera cum lupis iunxiſti, vt grege ad necem vſque diſperderent. Vide (M. Antoni) quo te ſcelere contaminaueris. Quòd ſi illud (vt iuſtum eſt) perhorreſcis, iam redi, è fuga qualis modò es, temetipſum erue, & turpi fœdere abrupto, fœliciori quàm antea metamorphoſi, ex lupo, & mercenario, te Catholicum Præſulem, & Spalatenſem Epiſcopum redde.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EXAMEN EPISTOLAE ad Lectorem.

PRia potiſſimùm (M. Ant.) vt cætera prætercam, à nobis minimè quidem admiranda, maximè verò perpendenda proponis in epiſtola, quam ad Lectorem in ipſo operis tui limine præfigis. Primum eſt, quod inquis. *Iacuit partus hic meus* (hæc enim tua ſunt verba) *& latuit planè iã ex vtero maturè editus, integro penè triennio, ſed prope duodecim annorum ſpatio elaboratus: non enim prodire potuit, aut debuit, vbi & parentem ad necem proderet, & ſeipſum ſtatim daret truculentis manibus comprimendũ. Iam verò parente (Deo gratias) ſaluo lætus, & tutus erumpit è latebris.* Equidem nõ miror, quod aliquid pepereris: ſemper enim munus, ac officium Epiſcoporum fuit, vel filios Chriſto parere; quod præſtabat Apoſtolus, cùm ait, *Filioli mei, quos iterum in Chriſto parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Vel miniſtros Eccleſiæ generare; *Epiſcoporum enim ordo* (vt ait Epiphanius) *Patrum generator eſt, Patres enim generat Eccleſiæ.* Vel tandem illuſtres quoſdam, aut Catholicæ doctrinæ, aut ſingularis ſanctimoniæ fœtus edere, quibus Chriſti Eccleſia magis in dies ædificetur, ac propagetur. At ſanè mirandũ, ſeu

Paul. ad Gal. 4.

Epiphanius hæreſi 75. cont. Arian.

ſeu potius miſerandum illud eſt, quòd tam infauſto ſydere pepereris: vt cùm præclarus aliquis fœtus, tanto Epiſcopo dignus erumpere deberet, non niſi fœdum, ac immane monſtrum protuleris; quò fit vt non Epiſcopi, qualis à Paulo deſcribitur, *Sine crimine, non ſuperbi, non iracundi, non vinolenti, ſed prudentis, ſobrij, caſti, amplectentis eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelē ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana.* Verùm perditi cuiuſpiam Hæretici, aut Schiſmatici hominis partus iure cenſendus ſit. Peperiſti tandem (M. Antoni) poſt duodecim conceptionis annos: Ecquidnam ex tuo tamdiu tumido ingenij vtero elaboratum erupit? Vis noſſe? Ex vultu, ex voce, ex verbis illud agnoſce. Vides primo aſpectu, obſcurum partum, iacentem, latentem, lucem refugientem, proprio parenti necem minitantem, è latebris erumpentem. Quid hæc? Annon adulterini fœtus ſigna ſunt, quæ hæreſes, ac ſchiſmata vbique comitantur? Iacuit tuus hic partus tamdiu velut exanimis, cùm Eccleſiam obſtetricem non haberet, cùm nulla Scripturarū veritatis ſoliditate fulciretur, cùm Patrum gremio non aleretur, cùm veritas nullum ei ſuffragium ferret, latuit. Hoc mali, & adulterini partus indicium eſt, latere enim

Paul. ad Tit. 1.

inquit Ambr. libr. 1. de Abraham. c. 2. *Crimi-noſæ conſcientiæ eſt*, latent adulterini partus
Ioan. 3. ne parentis turpitudinẽ prodant. *Qui enim malè agit* (iuxta Saluatoris ſententiam) *odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Hęreſis omnis, ac ſchiſma ab exordio quidem latebras quærit, vt potè eo parente progenita, qui tenebrarũm incola, ac princeps nuncupatur, tenebrarum hic partus tuus fuit. Quid mirum, quod tamdiu inter tenebras latuerit, ac velut lucifuga noctua, aut veſpertilio diem effugerit: *ſemper enim perfidis nox eſt* (ait Ambr.) *qui lucem Chriſti nebulis obducere, & quantum in ipſis eſt fuſcare conantur.* Porrò cũm partum tuum tamdiu inter tenebras latuiſſe, lucemq; refugiſſe narras, vides te hoc teſtimonio, illũ & adulterinum, & hæreticum prodere. Magis verò tibi, huius rei ſuſpicionem augere debet, quòd partui, eam à ſuo ortu naturam inditã eſſe narras, vt ſtatim parentem ad necem prodat, ac ſeipſum truculentis manibus cõprimendum tradat. Annon his apertè verbis, mali, ac adulterini operis, ac potiſſimùm hæreſis, aut ſchiſmatis (neſcius fortè, aut tui immemor conſilij) naturam delineas? Quis enim præſertim apud æquos Iudices boni operis ſupplicium pertimeſcat? Quin potius ab eis

ab eis laudem expectare debeat, id teſtante Apoſt. *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* At vix nata hæreſis, mox Deo, hominibuſque agentibus, parentem non ſolùm ad animæ; verùm etiã, lege lata, ad corporis exitium rapit. Vti ſancitum habetur l. Arriani. C. de Hæret. & Manich. & in Nou. Valent. tit. de Manich. Ipſa quoque Diuino in eam agente conſilio, ſeſe veritatis gladio obtruncandam præbet: quo fit, vt cùm ab iis tantùm ſupplicia pertimeſcẽda ſint, qui vel hæreſes, aut ſchiſmata in Eccleſiæ perniciem gignunt, aut ſcelerum auctores eſſe euincuntur; quidni ſupremum mortis ſupplicium pertimeſceres, cùm maximum hæreſis, ac ſchiſmatis ſcelus Deo, & hominibus execrãdum, tamdiu mente conceptum inter tenebras pareres? *Si enim malum feceris* (ſubdit Apoſtolus) *time; non enim ſine cauſa gladium portat.* Dices fortè, partum ad tempus tantùm latuiſſe, cùm tam ipſi, quàm parẽti, necis periculum immineret: at non ſemper latuiſſe, ſed aliquandò è latebris erupiſſe. Annon hæreſibus id commune eſt vt infirmæ lateant, fortiores in publicum prodeãt? Falleris, M. Antoni, non eſt prudẽtia, ſeu fortitudinis opus,

ad Rom. 13.

ſed puſillanimitatis vitium; cùm tuendæ fidei, aut veritatis vrget neceſſitas, Epiſcopũ præſertim, latebras quærere, linguam ſilentio premere, ab ingruentibus vitæ periculis ſe proripere, mortem timere; fugam capeſſere. *Corde enim creditur ad iuſtitiam* (ait Paul.) *ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Pro fide, pro veritate, pro vera religione, vſque ad ſanguinem, vſque ad necem, vſque ad vltimũ ſpiritum decertandum eſt. Nõ timidos, non fugiẽtes; ſed fortes ac intrepidos nos Chriſtus contrà fidei aduerſarios expetit, cùm ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Epiſcopos nõ gregis deſertores, ſed charitate incenſos optat Paulus, dicẽs. *Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego nõ vror?* Præclarè Auguſt. *Cùm plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumq́ ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ouibus?* &c. & infrà. *Magis timeamus ne lapides viui extinguantur, deſerentibus nobis, quàm ne lapides, & ligna terrenorum ædificiorũ incendantur, præſentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpirituali victu necentur, quàm ne membra corporis noſtri, oppreſſa hoſtili impetu torqueantur, non quia iſta non ſunt vitanda, cùm poſſunt: ſed quia potius ferenda*

Paul. Rom. 10.

Matt. 10

2. Cor. 11.

Aug. ep. 180.

renda ſunt, quando vitari ſine impietate non poſſunt. Quòd ſi te, oppreſſam penè veritatem, ac ruentem fidem ſuſtinere, ac tueri, necnon pro ea decertare non dubitas: Cur latêre partum? Cur fugere parentem? Cur Epiſcopum, magna ouium clade, gregem ſine crimine deſerere poſſe exiſtimas? Quid tantopere lætaris, exultas, Deo gratias agis, quòd tibi apud Hæreticos, ad quos aufugiſti, ſalua ſint omnia? Vide ne Circes poculo deguſtato, hominē exueris: necnon, corrupta ab hæreſi mente, atque in reprobum ſenſum tradita, lęteris cum malè feceris, & exultes in rebus peſſimis. *Prou.* 2.

At illud prætereundum non eſt, quod duodecim annorum ſpatio, partum hunc, qualem deſcripſimus, te fouiſſe, aut elaboraſſe dicis. Neſcis (M Ant.) quod qui oua aſpidum fouet, tandem Regulum parturiet. Quid niſi aſpidum oua fouiſti? Neque enim aliud toto hoc annorum ſpatio (quòd ipſe rei exitus probat) præterquam Hæreticorum placita, ſub quibus aſpidum venenum latet, iuxta Pſalmographi ſententiam, animo verſaſti: vt ex iis aliquando huiuſce tui voluminis hæreticus Regulus erumperet. *Pſ.* 139.
Etenim *Hæreticorum doctrinæ vel perlectæ, vel animo volutatæ,* teſte Greg. Nazianzeno, *ſunt*

tanquam

Greg. Nazianzen. orat. 2 de ſide. *tanquam aſpidum oua, aſpides, & baſiliſcos procreare nata.* Concepiſti tot annis dolorem, & tandem peperiſti iniquitatem; hoc tui caſus
Pſal. 7. caput, & initium fuit: quod non tam diabolo tibi hæreſim, ac ſchiſma ſuadenti, confeſtim reſtitiſti, iuxta Apoſtoli conſilium, mo-
Eph. 4. nentis. *Nolite locum dare diabolo.* Sed tamdiu hæreticas cogitationes in animo ſuſceptas, celaſti, confouiſti, enutriſti, donec tandem adultæ apertam hæreſim parerent.

Alterum porrò, quod in hac tua epiſtola animaduerſione dignum profers, illud eſt, quod nos velut contumelioſè Hieromonarchicos appellas, quaſi iniurioſum nobis eſſe debeat, quòd Eccleſiaſticæ Monarchiæ acclamatores, ac doctores nuncupemur. Nos quidem id glorioſum nobis eſſe ducimus nec appellationem, licèt contumeliæ affixam reſpuimus. Tu ſi ſceleris loco nobis imputandum eſſe iudicas Hieromonarchicos eſſe, reliquum eſt, vt Scripturas ſacras, orthodoxos Patres, generalia Concilia; totam denique Eccleſiá Catholicam ſceleris arguas, ac condemnes, quæ Eccleſiaſticam Monarchiam apertè docet, ac ſtatuit, & glorioſum eſſe iudices contra Scripturas, contra Patres, contra Concilia, contra totius Eccleſiæ conſenſum Monarchomachum appellari.

Poſtremum tandem cenſura, ac caſtigatione dignum eſt; quod mendacio excuſationem tibi texis. Cùm enim teipſum apud Lectorem excuſari velis, quòd ita omne argumenti genus pertractes, ac ſi primus eſſes, qui contra Monarchiæ Eccleſiaſticæ aſſertores inſurgeres, rationem reddis; quòd aliorum, qui aduerſus Eccleſiæ Monarchiã ſcripſerunt, libri ad manus tuas non peruenerint. Huius autem rationis cauſam ita ediſſeris. *Sed non puto te eſſe neſcium, ſcriptis huiuſmodi ad nos ne perueniant, aditus eſſe firmiſſimis repagulis interclusos.* Eia (M. Antoni) quibuſnam id perſuadere niteris? Nobiſne, qui Romanæ Eccleſiæ leges, ac conſuetudines non ignoramus? *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prou. 1. Si dixiſſes; infirmis, rudibus, curioſis, nouitatis ſectatoribus, imbecillibus Hæreticorũ ſcripta, à ſacris legibus, ac ſanctionibus Eccleſiaſticis interdicta eſſe; id nobiſcum, & cum veritate ſentires. Sed doctis Paſtoribus, Epiſcopis, præſertim Primatibus, omni exceptione maioribus, aditus ad ea ita firmis repagulis obſtructos eſſe, vt nulla ratione, nulla poſtulatione, nulla cauſa exigente, ad Hæreticorum libros peruenire queant, aut debeant, id planè commenticium eſt: cùm vel ſæpe inqui-

ſitorio iure potiantur, vel vix poſtulatam facultatem facillimè ab Apoſtolica ſede obtineant. Quòd ſi tibi aliquando huiuſmodi aditus percluſi fuerunt; id fortè in cauſa fuit, quod Apoſtolica ſedes (vt alibi fateris) corruptum animum, atque à Catholica vnitate auerſum ſubolfecerat. Tuum id vitium eſt, nam ſedes Apoſtolica ſua nunquam benignitate tibi defuiſſet.

EXAMEN PRAEFATIONIS ad Epiſcopos.

IAm verò præfationem tuam, quam ad Epiſcoporum ordinem ſcribis, examinandam aggredior, vbi te primùm in ipſo limine offendere video. Sic enim titulum componis. *Vniuerſo Diuinorum ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcoporum ordini veritatem, charitatem, libertatem, fœlicitatem.* Diuinos in primis Epiſcopos appellas. Eſtò, hoc titulo olim erga Epiſcopos nonnulli Patres vſi fuerint: modò tamen ob ingruentes hæreſes, minùs vſitatum eſt, inter Catholicos Dominorum potiùs (vt apud Aug. & Hieron. frequenter) quàm Diuinorum tibi dicendum fuerat. Sed hoc me minimè mouet: hoc enim titulo veros, ac legitimos S. Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos te inſinuare non dubito.

Cùm

Cùm verò in toto præfationis diſcurſu, vt notum eſt, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos alloquaris: iam ex tuis verbis, certum mihi illud eſt, te Romanam Eccleſiam, ſanctam agnoſcere, ac proinde Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos nuncupare. Iam verò id à te peto, ſi Romanam Eccleſiã ſanctam, & Catholicam cenſes; ſi Epiſcopos tanquam Catholicæ Eccleſiæ præſules Diuinos agnoſcis, quo pacto illis veritatem, ac libertatem optas; perinde ac ſi iis careant, & indigeant. Hæc enim inter ſe mutuò pugnant Eccleſiæ ſanctitas, & fidei mẽdacium: Epiſcoporum Diuinitas, & veritatis exitium. Nam cùm ſanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ integra, ac incorrupta ſit fides; alioqui nec ſancta, nec Catholica appellãda eſſet; profectò huius Eccleſiæ Epiſcopus legitimus nullus eſſe poteſt, qui fidei veritatem ab ipſamet hauſtam, integrã apud ſe non cuſtodiat. En igitur quàm apertè tu teipſum oppugnas, cùm ſanctæ, ac Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, quos Diuinos vocas, & quos fidei veritas, ac magiſterium in Epiſcopalibus ſedibus collocat, alienos eſſe à veritate putas. Cæterùm quòd illis ſimul cum veritate libertatẽ precaris, magis repugnantiam auget: ſiquidem fidei veritas eſt, quæ veros Eccleſiæ Epiſcopos vindicat

in libertatem filiorum Dei. Nota enim eſt
Ioan. 8. Saluatoris ſententia. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Quid illos fingis iugo ſeruitutis iterum contineri, qui conſtanter in ipſius veritatis, in qua ſancta catholica Eccleſia Diuinam libertatem eſt adepta, ſuaui amplexu degunt?

Quòd ſi eam illis libertatem optas, quæ Romani Pontificis iugum, & vt alibi inculcas, iniuſtam oppreſſionem excutiat; calumnioſè in Pontificem agis. Nulla enim iis libertas optanda eſt, quibus nulla vis eam libertatem eripit, quæ iure ab iis expeti poſſit. Siquidem effrœnis ea libertas eſt, quæ iuſtum naturæ, vel officij, vel legis Diuinæ iugum ſubire renuit. Dic, num oues paſtori ſubiectæ eſſe debeant? Num membra capiti? Num filius Patri? Quòd ſi filius ſeipſum à patris obedientia vellet eximere; annon ea libertate iniuſtè frui cuperet? Qui verò eam libertatem filio conſuleret, ac falſis rationibus perſuaderet, nonne eodem, ac grauiori crimine ſeipſum irretiret? Hoc te ſcelere contaminas (M. Antoni) cùm effrœnem Epiſcopis libertatem optas, ac ſuades: quæ oues à paſtore ſeparat: quæ membra à capite ſeiungit: quę Epiſcopos, Romani Pontificis,

cis, filios à patris obedientia auellit. Sed de iis in poſterum plura. Nunc quòd ad rem attinet, cùm id in Romani Pontificis odiũ, potiùs quàm in veritatis præſidium tibi aſſumas; potiùs te admonẽdum puto, vt concepto odio animum expolies, quò ſimul & iniuſtæ oppreſſionis hauſtam opiniõnem exuas, quàm vt tibi vlla aut ratione, aut argumento oppoſita veritas perſuadeatur. Hæc de Præfationis titulo ſufficiant.

Porrò in præfatione tua plura congeris, partim ex putridis Hæreticorum lacunis deprompta; partim proprio ingenio excogitata: vniuerſa verò ad nouam hæreſim (nec fallor) prioribus omnibus atrociorem, ac pernicioſiorem cõſtruendam artificioſè aptata. Quæ omnia (ne calumnioſè tecum agere videar) non quidem exacto, ſed perfunctorio examine perſpicua fient.

Principio aſſumpta fortis illius Mulieris metaphora: de qua Salomon *Mulierem fortem quis inueniet?* Quam, Eccleſiam ex Auguſtino non malè interpretaris. Multa ibi miſces, quæ rectam interpretationem corrumpant. In his primum eſt, quod ais; prioribus ſeculis ante Chriſti aduentum, fortem non fuiſſe Eccleſiam, ſed imbecillem, ac debilem, vt pote erroribus, ac vitiis contami- Prou. 31.

natam Pugnat tecum Auguſtinus, quem tibi, ſed malè Patronum adſciſcis. Hęc Auguſtini ſunt verba. *Mulier iſta fortis, Eccleſia eſt, quomodo non eſt fortis, quæ ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur.* Vides ex Aug. ab ipſo mundi exordio, ante Chriſtum, fortem Eccleſiam, non imbecillem. Nā tametſi in veteri Eccleſia, quæ Chriſtum præceſſit, multi ad idôla propēſi, plurimis quoque vitiis, ac ſceleribus contaminati eſſent: eò tamen Eccleſiæ fortitudo nequaquam minui, aut labefactari potuit: cùm etiam poſt Chriſtum Eccleſia, quam fortem euaſiſſe doces, malos bonis permixtos habeat. Porrò ſi ob improbam aliquorum vitam Eccleſiæ ſanctitas non labitur, nec propter impios ſancta deſinit appellari; cur propter aliorum imbecillitatem, ac propenſionem ad vitia, imbecillis nuncupari debet? Hinc facilè intelligimus, quo ſenſu, Auguſtinus dixerit, quod tu ipſe in tui erroris præſidium vocas, nempe. *Mulierem fortem quis inueniet? Quis alius, niſi Chriſtus? Non autem eam fortem inuenit, ſed inueniendo fortem fecit.* Neque enim Eccleſiæ, ſiue priorum, ſiue poſteriorum temporū fortitudo aliunde præterquā à Chriſto profecta eſt. Quid? Annon Chriſtus *Agnus* eſt, qui (vt Apoſtolus

Auguſt. ſerm. 217 de temp.

lus ait) *Occiſus eſt ab origine mundi*, cuius ſan- *Apoc.* 13.
guinis virtus omniū temporum Eccleſiam
roborauit? Annon vtriuſque teſtamenti Pa-
tres vicerunt in ſanguine Agni? Annon qui
præibāt, & qui ſequebantur clamabāt Ho- *Matt.* 21.
ſāna filio Dauid. Certè vt (teſte Auguſtino)
non fuit variata Eccleſiæ fides, ſed tempo-
ra; ita nec Eccleſia vllum vnquam ſuæ for-
titudinis diſpendium, aut diminutionem
paſſa fuit, licèt Eccleſiæ tēpora fuerint mu-
tata. Fortem igitur Eccleſiam Chriſtus non
inuenit, quandoquidem nec Eccleſia vn-
quam ſine Chriſto fuit: Vix enim in Ada-
mo, & Eua Eccleſia orta fuit, mox Chriſto
fuit coniugio copulata. Teſte Apoſt. *Propter* Paul.
hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem Eph. 5.
*ſuam, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne
vna. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem
dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Tota igitur Ec-
cleſiæ fortitudo à Chriſto eſt, qui, vt ait Au-
guſt. non eam fortem inuenit, ſed inuenien-
do, cæleſti illo coniugio, fortem effecit. Sed
tu eam idcirco imbecillem, ac debilem tibi
fingis, vt eam aliquando vitiis, ac ſceleribus
proſtratā penitus defeciſſe, & ſolida fortitu-
dine deſtitutā, ob hominū facinora omnino
interiiſſe, rudibus ſaltē obtruderes; quæ nō
tua tātum, ſed Hæreticorū quoque vox eſt.

Addis præterea latentem eo tempore fuiſſe Eccleſiam. *Cupiebat* (inquis) *Salomon Diuino afflatus ſpiritu, aliquem videre, qui Eccleſiam hanc Dei per totum orbem diffuſam, & illam quidem tunc exiguam, debilem, ac latentem inueniret.* At ſi tunc latebat Eccleſia, quo pacto,
Pſal 75. paulò ſuperius ex Pſalmographo doces. Illis quidē ſeculis notum fuiſſe in Iudæa Deum. Quòd ſi in Iudæorum Eccleſia, tunc notus erat Deus, ac publicis ſacrificiis colebatur; quomodo ignota, aut latens erat illius temporis Eccleſia? *Latebat* (inquis) *in Iob, in Melchiſedech, in Niniuitis, demùm in Gentibus. Neque enim Deus ſoli Circumciſioni ſuam alligauerat Eccleſiam.* Eſtò; Num propterea (vt contendis) tota latebat Eccleſia, ſi pars eius tantùm aliquota lateret? Planè ſemper illuſtris, ſemper conſpicua fuit eorum temporum Eccleſia, tametſi anguſtis interdum limitibus concluderetur. Neque vnquam ita tota latuit, vt notos, ac publicos ſuos Dei cultores non exereret.

Verùm pergamus ad alia. Non ſolùm veterem Eccleſiam ante Chriſtum: ſed etiam nouam poſt Chriſtum delituiſſe, ac etiamnum deliteſcere affirmas; cuius rei cauſam reddis, his verbis conceptam: *Amiſſo enim magna ex parte, ſuo ornatu viris doctis, & ſanctis Epiſcopis,*

Epiſcopis, (vti prius explicaueras) *rurſus illa miſerandum in modum delituit; vt iam rurſus noſtro tempore, vel maximè, non ſine lachrymis dicamus quotidie, Mulierem fortẽ quis inueniet?* Hîc te apertè, M. Antoni, nõ tam Schiſmaticum, quàm Hæreticum prodis. Hæc enim explorata fuit hæreſis omnium ferè Hæreticorum: Donatiſtarum, teſte Opato, quam etiam Auguſtinus refert, ac refellit: Luciferianorum, vt ſcribit Hieron. Pauperum de Lugduno, vt tradit D. Antoninus, quæ etiã nunc eſt Lutheri, Melanchtonij ad c. 3. prioris ad Corinth. Anabaptiſtarum, vt refert Hẽricus Bullingerus de Anabaptiſtis lib. 2. c. 10. Ioan. Caluini lib. 4. Inſt. c. 2. §. 1. & Caluiniſtarum; demum omnium fere Hæreticorum hoc placitum fuit, vt docet Lactantius lib. 4. Diuin. Inſt. c. 30. qui Chriſti Eccleſiam veram deliteſcere, eamq; non niſi in ſuis cœtibus conſpicuã eſſe affirmant. Quapropter cùm Hæreticorum cauſam, tot titulis turpem tibi defendendam ſuſcipias, planè te ab hoc crimine liberare non potes; quin Hæreticorum affinis, ac conſanguineus, ipſa doctrinæ affinitate, Hæreticus demum ab omnibus iudicãdus ſis. Porrò cùm protrita, ac toties profligata fuerit hæc tua, ac cæterorum Hæreticorum Eccleſię inuſta

Optat. lib. 1. Aug. hereſ. 96. Hieron. cõtra luciferian. c. 1. D. Anto. 4. p. ſum. t. 11. c. 7. §. 2. Luthe. in Colloq. lat. t. 2. c. de Patriarch.

calumnia, neque tu nouum aliquid afferas, quo errorem tuũ promoueas, præter vnum Auguſtini dictum, Hæreticorum iure à te obtruncatum; vel etiã Chryſoſtomi. Paucis quidem in primis tuus hic error perſtringendus eſt, tum ex Auguſtino tibi reſpõdebimus. Ignoras, M. Antoni, Eccleſiam Mõti cuidam magno, in vertice montium collocato. Iſaiæ 2. Dan. 2. & Micheæ 4. iuxta Hieronymi in ea loca, & Auguſtini tract. 1. in ep. Ioan. explicationem comparari? Ignoras eam cum Lucerna ſuper modium poſita, cum Ciuitate, ſupra mõtem ædificata Matt. 5. eſſe collatam vt exponit Auguſtinus, liceat te cum Auguſt. cæcum appellare, *qui tam magnum montem non vides, qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudis.* Fingis tibi Eccleſiam amiſſo Doctorum, ac verorum Epiſcoporum ornatu iamdudum delitеſcere: Sed quid Paulo reſpondes? Qui veros Doctores, ac Epiſcopos perpetuos, ac conſpicuos ex Chriſti dono in Eccleſia futuros pollicetur. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas: alios verò Euangeliſtas: alios autem Paſtores, & Doctores ad cõſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei,* &c. Putas

Iſa. 2. Dan. 2. Mich. 4. Auguſt. tract. 1. in ep. Io. Matt. 5. Auguſt. lib. de vnit. Eccl. c. 14. & lib. 3. cõtra ep. Parm. Auguſt. tract. 2. in ep. Io. Eph. 4.

Putas Eccleſiam totam vitiis, & ſceleribus contaminatam, externam nobis faciem ſubtrahere,ac proinde totam inter infidelitatis tenebras latere? At te cum Chriſto pugnare non animaduertis? Qui Eccleſiam ſuper petram ædificandam, neque vlla vnquam infernarum virium poteſtate labefactandam fore affirmat: quippe quæ domus illa ſit, in quam licèt vitiorum imbres deſcendant, hæreſum procellæ deſæuiant, eamque ſcelerum flumina lambant, proſterni, aut illius ſplendor obſcurari nunquam poſſit. Vt docet Chryſoſtomus, *Facilius* (inquit) *eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari:* Neque enim Eccleſia, quæ perpetuo fidei, ac iuſtitiæ coniugio, Chriſto eſt deſponſata, vt præclarè tradit Oſeas, tota ſceleribus, aut hæreſibus conſtuprari vnquam poteſt. Poſtremò ſi erroribus, ac ſceleribus obrutam Eccleſiam in tenebras demerſam credis. Cur inter cæteros fidei articulos quotidie te credere profiteris, Sanctam Eccleſiam Catholicam? Neque enim vlla ſanctitas eſſe poteſt, vbi Eccleſiam totam error, ac vitium occupauit. Cur Catholicam credis? Cùm Catholica Eccleſia, ea tantùm ſit, quæ omnibus patens, & conſpicua, omnium fideliũ vniuerſitatem

Mat. 16.

Chryſoſt. hom. 1. in c. 6. Iſaia.

Oſea 2.

ad vnum fidei, ac doctrinæ gremium, ad vnam Sacramentorum participationem, ad vnam publicam Chriſtiani nominis profeſſionem, ad vnam tandem Eccleſiæ vnitatem cogit. Certè aut nullam Eccleſiam credis: aut ſolam Catholicam Eccleſiam profiteris. Cùm verò latens Eccleſia Catholica appellari non poſſit ob id potiſſimùm, quòd ſe à Catholica Eccleſia diſiunxit, planè cogeris fateri aut latentem Eccleſiam nullam eſſe, aut veram non eſſe, cùm Catholica eſſe deſierit: Sed paulò vberius hunc errorem tuum perſtringamus.

Vbinam apud Scripturas, aut Patres deliteſcentem vnquam Eccleſiam didiciſti? Scripturæ quidem ex communi Patrum expoſitione Eccleſiam domui comparant, areæ, agro, conuiuio, ouili, ſagenæ. In domo ſunt vaſa aurea, & fictilia: in area, palea, & triticum: in agro, zizania, & bonum ſemen: in conuiuio, digni, ac indigni: in ouili, agni, & hœdi: in ſagena, boni & mali piſces. Quis hæc ita deliteſcere credat, vt paucorum tantùm, non omnium obtutibus pateant? Paulus docet in
Eph.4. Eccleſia alios quidem Apoſtolos; alios Prophetas; alios Euangeliſtas; alios Paſtores, & Doctores poſitos eſſe ad conſumma-

tionem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, atque hæc munera tamdiu in Eccleſia permanſura, donec occurramus omnes in vnitatē fidei. At num latuerunt Apoſtoli? Num latuerūt Prophetæ? Num latuerunt Euāgeliſtæ? Num latuerunt Paſtores, & Doctores? Num latuerunt horum miniſteria? Num latuit plebs, quibus hæc officia hactenùs adminiſtrata ſunt? Denique vt quod à me inſtitutum eſt, paucís tecum agam, vniuerſa Scripturarum teſtimonia, quæ quoquomodo ad Eccleſiam ſpectant, præſertim quæ apud Euangeliſtas, ac Apoſtolos leguntur, perquire. Omnia viſibilem, illuſtrem, conſpicuam, ac omnium oculis expoſitam Eccleſiam prædicant. De obſcura, de inuiſibili, de latenti Eccleſia nequidem verbum proferūt. Neque enim alia nunc Eccleſia eſſe poteſt, quàm quæ Chriſti, ac Apoſtolorū tēpeſtate fuit, & cui Chriſtus, ac Apoſtoli præcepta dedere. Cū verò illa non latens, ſed perſpicua eſſet, planè nō ſecus hodie poſt mille ſexcentos, & ampliùs annos omnibus nota, ac manifeſta eſſe debet. Atque hoc argumento Auguſtinus Eccleſiam viſibilem, ac manifeſtam euincit. *Aug. ep. 48.* *Quomodo*, inquit, *confidimus ex diuinis literis accipere nos Chriſtum manifeſtum, ſi non inde*

accepimus Eccleſiam manifeſtam ? Quapropter cùm Eccleſiam latentem,& inuiſibilem ſtatuis, id agis profectò, quòd omnem prorſus veram Eccleſiam deſtruis: Non modò, ea ratione, quòd aliam Eccleſiam, quàm quæ à Chriſto inſtituta eſt, in orbem inuehis: verùm etiam, quia ipſam Eccleſiam euertis, quæ manifeſta verbi prædicatione, manifeſta fidei doctrina, manifeſto Sacramentorum vſu, manifeſto Paſtorum miniſterio, manifeſtis legum ſanctionibus, manifeſta tandem, ac viſibili adminiſtratione indiget. Accedat quòd profligandarum hæreſum aditum omnino intercludis. Neque enim hęreſis vlla expugnari poteſt, ſi ignota ſit Eccleſia, cuius publica auctoritate confodiatur; vel nullam omnino hæreſim, Eccleſiam inuadere exiſtimas; cùm nullam viſibilem ac conſpicuam Eccleſiam eſſe doceas, quam hæreſes ſuis erroribus oppugnent: quod non tam ab Apoſtoli doctri-
Cor. 1. c. 11. na dicétis, Oportere hæreſes eſſe: Verùm & ab ipſa rei experientia alienum eſt, quæ docet, plurimas hæreſes, poſt quingentos priores annos in Eccleſiam graſſatas fuiſſe.

August. l. de vnit. Eccl. c. 16 Sed tandem Auguſtinum te arguentem audi: *Non eſt*, inquit, *Eccleſia operta, quia non eſt*

eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt, & de illa dictum eſt. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta, Sed Donatiſtis(nos dicamus, M. Antonio Caluiniſtæ, ac fratribus tuis Caluiniſtis) *operta eſt, qui audiunt tam lucida, & tam manifeſta teſtimonia, quæ illam toto orbe demonſtrãt & malũt clauſis oculis offendere in Mõtem, quàm in eum aſcendere.* Plura huiuſmodi argumenta habes apud Nicolaum Sanderum de viſibili Monarchia, Bellarminum de Eccleſia, ac cæteros huius tempeſtatis Doctores vberrimè pertractata. Et ſi lubet ſecundum noſtrarum demonſtrationum Tomum perquire, vbi in Demonſtratione octaui ſymboli lib. 1. art. 4. hoc argumentum fusè exagitatum reperies.

Venio ad Auguſtinum, cuius teſtimonio obtruncato vteris. Siles enim priora verba, quæ aduerſum te pugnant, & tantùm poſteriora profers. Integrum Auguſtini teſtimonium accipe. *Mulierem fortẽ quis inueniet* (inquit) *difficile eſt inuenire eam, & difficile eſt neſcire eam. Nonne ipſa eſt ciuitas in monte, quæ abſcondi non poteſt? Quare ergo dictum eſt, quis inueniet? Cùm dici debuerit quis non inueniet?* Hæc tu retices, quandoquidem, his verbis, Auguſtinus delitescentem tuam Eccleſiam, *Aug. ſer. 218. de tempore.*

velut

velut gladio confodit. Pergit Auguſtinus. *Sed tu ciuitatem in monte poſitam vides: vt autem in monte poneretur, inuenta eſt: ipſa eſt enim ouis illa, quæ perierat.* Alludit Auguſt. iis, quæ priori ſermone dixerat, vbi Eccleſiã Oui perditę cõparauerat, quæ à Chriſto inuẽta fuit. Id verò de omniũ temporũ Eccleſia primorum parentũ vitio in culpam lapſa, omnino intelligẽdum eſt, quãChriſt⁹ propriis laboribus atq; effuſo ſanguine inuenit, & inuentã ſibi in ſponſam copulauit. vt monet Paulus:
Paul. Eph. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Addit Auguſtinus. *Et reuera fratres Eccleſia Catholica eſt, quæ iam illuſtrata eſt, quis ergo eam non videt?* Num tu ſolus, M. Antoni? Nequaquam: ſed tecum etiam Hæretici, qui eam inuiſibilem, ac deliteſcentem ſibi fingunt. Subdit deinde Auguſt. *Quando latebat, quis eam inueniebat?* En lapis offenſionis, & petra ſcandali, ſed hunc lapidem amouet Auguſtinus ipſe. *Sicut enim* (ait) *iam dicta eſt ipſa ciuitas, ita & ouis, quam perditam quæſiuit Paſtor. Ipſe paſtor mons eſt; Ouis ergo in humeris eius, ciuitas eſt in monte; facilè*

cilè eſt eam videre collatam in monte. Vides non latentem, qualem tibi fingis, ſed conſpicuã Eccleſiam Auguſtinum prædicare. Conſpicua eſt ciuitas in monte conſtructa; conſpicua eſt ouis in humeris Chriſti, velut in monte ſublata: nulli inuiſibilis eſt, nulli ignota, nulli latens; facilè quippe eſt eam videre collocatam in monte, cùm ſit omnibus patens. En obuium Auguſtini ſenſum. Quid igitur Auguſtinus ait, latuiſſe Eccleſiam? Latuit ſanè, cùm nondum à Chriſto eſſet inuenta, cùm necdum eidem deſponſata, atque vt idem Auguſt. proſequitur, cùm inter vepres, & ſpinas originalis peccati volutaretur. *Quomodo* (inquit) *eam inuenires, cùm lateret inter vepres, & ſpinas vtique delictorum ſuorum:* Latuit tandem, quia tam profundè in peccatum immerſa fuit, vt nemo præter Chriſtum, eam inuenire, atque à lapſu erigere, ac reuocare potuerit. Inde enim colligit D. Aug. *Ibi eam quæſiuiſſe magnum, ibi inueniſſe mirabile eſt.* Difficile quippe fuit hoc inuentionis genere, quo à Chriſto redẽpta fuit, hanc Ouem, ac Mulierem, Eccleſiam nimirum, ab alio quopiam inueniri, vt tandem Auguſtinus concludit. *Hæc Ouis difficilis commendatur inuentio, cùm dicitur. Mulierem fortem quis inueniet, id eſt Eccle-*

ſiam,

ſum. Hinc plenè Auguſtini ſenſum aſſequimur, cùm primo loco dixit. Difficile eſſe Mulierem hanc, id eſt Eccleſiam inuenire, & difficile eſſe neſcire eam: priùs enim de Eccleſiæ redemptione agit, quæ ſola Chriſti Paſſione peracta eſt: poſteriùs verò de Eccleſiæ conſpicuitate intelligit, quod ſequentibus verbis declarat, cùm addit. *Quis non videt eam iam à Chriſto inuentam, iam eminentem, iam cõſpicuam, iam glorioſam, iam ornatam, iam lucidam, & vt citò explicem, toto terrarum orbe diffuſam.* Verùm quòd apertè à tua, & ab aliorum Hæreticorum ſentẽtia Auguſtinus diſſentiat, perſpicuum eſt ex iis, quæ paſſim ſcribit, ac præſertim in pſalm. 47. his verbis.

Aug. in Pſal. 47. *Hæc Eccleſia eſt ciuitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt: Hæc eſt lucerna, quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata.* (tum paulò infrà) *Sed fortè iſta ciuitas, quæ mũdum tenuit, aliquando euertetur? Abſit: Deus fundauit eam in æternum: Si ergo Deus fundauit eam in æternum, quid times ne cadat Firmamentum?*

Chryſoſt. hom. 10. in ep. ad Epheſ. Quòd verò ad Chryſoſtomum ſpectat, cuius teſtimonium ex hom. 10. in ep. ad Ephe. profers. Noſter eſt Chryſoſtomus, nec quicquam tuæ cauſæ patrocinatur. Deplorat ille Eccleſiæ mala, ac præſertim gloriç cupiditatem, quç ſuo tempore Eçcleſiã deuaſtabant, atq; per exaggerationem potiùs & per am-

plificationis modũ, quã ex firma animi ſententia, omnia, ambitionis flamma correpta, ſubuerſa, ac vaſtata aiebat, quẽ dicendi modũm, apud Prophetas frequentiſſimum eſſe didicerat. *Omnes declinauerunt*, inquit Dauid, *ſimul inutiles facti ſunt, nõ eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnũ.* Iſaias quoque cùm Synagogæ vitia defleret, ait; *Omne caput lãguidum, & omne cor mœrens à planta pedis, vſque ad verticẽ nõ eſt in eo ſanitas*, & cap. 41. *Ecce omnes iniuſti, & vana opera eorum.* Hier. *Omnes auaritiã ſequuntur; à Propheta vſque ad Sacerdotẽ: Omnes faciunt mendacium.* Paul. *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, nõ quæ Ieſu Chriſti:* & alia quamplura huiuſmodi teſtimonia, tum apud Prophetas, tũ apud Apoſtolos reperiuntur, quæ per amplificationẽ, ac exaggerationẽ dicta eſſe nemo ignorat. Hoc modo etiã Chryſoſtomus, vir ſanctus, Prophetas, & Apoſtolos imitatus, vt eò magis populos ad pœnitentiam prouocaret, ita Eccleſiæ calamitatem, illis ante oculos ponit, quaſi iam omnia vitiorum incendio vaſtata eſſent: Sed eſto. Epiſcopi, Eccleſiæ Rectores, & ſi vis omnes, vanæ gloriæ, mundanæ pompæ, & ambitionis terrenæ (adde etiam ſi lubet vitia alia quamplurima) flamma correpti fuerint. Quid tum? Num propterea periiſſe, aut delituiſſe Eccleſiam Chryſoſtomus affirmat?

David Pſal. 13.

Iſaia 1.

id. c. 41.

Hierẽ. 8.

Ad Philipp. 2.

Vitia morum, non doctrinæ, non fidei, non Religionis carpit Chryſoſtomus. Hæc ſi totam Eccleſiam occupauerint, protinus eam ſubuertunt, deuaſtant, & ad ſupremum interitum rapiunt: illa verò ſi interdum in Eccleſiam irrepant, haud ſecus in Eccleſia ſunt, quàm quædam maculæ in carne, aut praui humores in corpore, quæ membra quidem commaculant. ac infirma reddunt: minimè verò Eccleſiam ad necem pertrahunt. Quòd verò Chryſoſtomus ſenſu lõgè diuerſo, hæc verba protulerit, quàm à te accipiuntur, ipſum audi de Eccleſia proprio ſenſu loquentem. *Nam à die* (inquit) *qua dictum eſt (tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.) conſtat Eccleſia ſolida, & ſtabilis, ac inuicta, florẽs, ac fulgens, & in dies magis, ac magis vigens, creſcens, & plus roboris ſumens, & omnibus, qui ab illo die, vſque ad Domini aduentũ futuri ſunt præſtans, vt ſummos inde fructus, & ineffabilem vtilitatem capere queant.* Vide quàm longè aliter Chryſoſtomus de Eccleſia, quàm tu ipſe, ſentiat. Cæterùm ne tibi, aut aliis perſuadeas Eccleſiam, vlla aut hæreſum, aut vitiorum vi commoueri, aut deijci vnquam poſſe: Quid idem Chryſoſtomus, dicat, attende. *Intuemini* (inquit) *quomodo commota eſt terra, & cõtremuit, & tamen non corruit ciuitas. Quomodo*

Chryſoſt. dem adu. Gent. Quod Chriſtus ſit Deus.

Chryſoſt. hom. cum de expul. eius ageret.

Quomodo, impuriſsime diabole, Eccleſiam te putas poſſe deiicere, qui trementes parietes deiicere minimè valuiſti? *Chryſoſt. hom. Cũ de expulſ. eius ageret.*

Miror ſanè, M. Antoni, quòd tu, qui Archiepiſcopus haberi vis, iam diaboli imitator, ac diſcipulus euaſeris: qui Epiſcopis, tãquam nulli alij rei præterquam pompæ, ac luxuriæ addictis, ab Eccleſiæ ſubſellio pulſis, Eccleſiam velut à priſtina ſanctitate degenerem, nec amplius ſanctam, ſed mundanam, neque aliam, quàm carnalem, ac temporalem Chriſtum agnoſcentem, impuro ore à ſolidiſſima illa fidei petra, in qua ſemel ædificata fuit, omni vi, ac ſtudio deiicere coneris. At falleris profectò: *Eccleſia Dei nihil fortius* (inquit Chryſoſt.) *Si quis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt*: Quapropter non Epiſcoporum pompæ, non faſtus, & luxus, non ambitio, non terreni dominatus, non caro, & ſanguis, non terrena conſilia, quæ omnia vt plurimùm falſiſſimè iactas, effecerunt nõ quidem vt fœdis ſchiſmatibus ipſa Chriſti Eccleſia, vt garris, in fragmenta pene innumerabilia ſit conſciſſa (Chriſti enim Eccleſia integra eſt, & incorrupta, nec vllis vnquam ſchiſmatibus poterit diſcindi) verùm vt fœda ſchiſmata inter eos graſſentur, qui ſe ab vnitate Eccleſiæ *Chryſoſt. in ead. hom.*

diſiunxerunt,ſed tua, ac aliorum libido, ac præſumptio id planè præſtitere, vt hæreſes, ac ſchiſmata in Eccleſiam irruerẽt; qui cùm pullorum onagri inſtar,ſe liberos natos putent,ſummi Pontificis, quem totius Eccleſiæ præſidem agnoſcere deberent, iugum à ſe excutiunt, cuius rei teſtis eſt Cyprianus. *Vnde enim*(inquit)*ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt,& oriuntur, niſi quòd* Epiſcopus, *qui vnus eſt,& Eccleſiæ præeſt,ſuperba quorũdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus indicatur.* Pluribus hæreticum hunc errorẽ tuum perſtringerem,niſi breuiſſimi monitoris potiùs, quã ſeuerum Cenſoris officium ſubire vellem, quò etiam fiet,vt reliquos errorum tuorum anfractus potiùs tibi ante oculos ponere, quàm illos exactè diſcutere mihi ſatis ſit. Quòd ſi fortè ampliorem huiuſce tui erroris demonſtrationem, ac cenſuram expetis; vide quæ ſcripſimus in tomo 2. noſtrarum Demonſt.libr. 1. Dem. 8. vbi fusè hanc rem proſequimur.

Cypr. lib. 4. ep. 9.

Sed lubet aliud argumentum attingere, quo Eccleſiã tibi potiùs quàm nobis latentem te euincere arbitraris. *Quis illã inueniet?* (inquis)*Oriens dicit Eccleſiam in Occidẽte totam periiſſe: Nos Occidentales Romani,illã in Oriente,*
vel

vel quaſi extinctam lugemus, vel faſtidimus. Septentrio nos non Chriſto, ſed Antichriſto ſeruire clamat: Nos Septentrionem, extra Eccleſiam ponimus naufragantem. Quis igitur Mulierem hanc fortem inueniet? Si Catholicus eſſes, M. Antoni, non tam in inuenienda Eccleſia laborares: ſed protinus Eccleſiam Catholicã inter Hæreticorum ſectas enitentem, velut inter concubinas Reginam, ac Chriſti ſponſam, illi à dextris aſſidentem, atque aureo veræ fidei pallio amictã, & tandem pulcherrima omnium virtutum varietate ornatam digito demonſtraſſes: Doctores Apoſtolos habuiſſes, ac quotidianã ſymboli fidem, quam profiteris, cùm ais; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, ſociũ Auguſtinum tibi vẽdicaſſes, qui te planè docuiſſet. *Idcirco in ſymbolo, dicimus, Credo vnam Eccleſiam Catholicam, id eſt, toto orbe diffuſam, quia diuerſorum Hæreticorum Eccleſiæ, ideo Catholicæ non dicuntur, eo quòd per loca, & per ſuas quæq; prouincias continentur. Hæc verò ab ortu ſolis, vſque ad occaſum vnius fidei ſplendore diffunditur.* Verùm cùm Catholicus non ſis, quamuis Catholicum te eſſe fingas; ſed Catholicæ Eccleſiæ potiùs te hoſtem exhibeas, planè mirandum non eſt, quòd veram Eccleſiam quam à tergo reliquiſti, non inuenias.

Symb. Apoſt.

Auguſt. Serm. de *temp* 13.

Dices fortè, quamlibet Hæreticorum ſectam, Catholicæ Eccleſiæ nomen ſibi vendicare; fateor, neque id Auguſtinum latuit. At num propterea, quæ vera Catholica Eccleſia eſt, difficilè inueniri poteſt? Haud ſanè, audi Auguſtinum docentem. *Non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic ſola Eccleſia Catholica obtinuit, vt cùm omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus Hæreticorum, vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Adeóne rudis es, M. Antoni, vt quid Catholicum ſit, nondum didiceris. Diſce ergo ex Vincentio Lirinenſi, qui paulò Auguſtino poſterior fuit, quid ſit Catholicum eſſe. *In ipſa Catholica Eccleſia (* ait*) magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum eſt: Hoc eſt etenim verè, propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioq́; declarat, quæ omnia verè, vniuerſalitérque comprehendit: ſed hoc ita demùm fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem: Sequemur autem vniuerſitatem, hoc modo. Si hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Maiores, ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem*

Aug. cōtra epiſt. fundam. c.4.

Vincent. Lirin. de Proph. Nier. nouit.

quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium Sacerdotum pariter, & magiſtrorum diffinitiones, ſententiáſque ſectemur. En quid Catholicum ſit, & vnde Eccleſia Catholica dicatur. Quòd ſi nuperis, ac heſternis ſectis. quibus nihil antiquum, nihil ſolidum, nihil conſtans, ac certum eſt, Catholicum nomen minimè conuenire iudicas; quid eſt, cur tantopere in Catholica Eccleſia inueniẽda te cruciari oporteat? Cùm ea omnia, quæ ad Catholicæ appellationis rationem ſpectant, in ſola Romana Eccleſia collecta reperiantur. Huius rei amplam habes demonſtrationem in noſtris demonſtr. tom. 2. libr. 3.

Sed quænam hæc inſania eſt, quòd vt te oratorem ſimules, mendacia congeris. Quando vnquam Oriens dixit, Eccleſiam in Occidente totam periiſſe: Aut Septentrio Occidentalem Eccleſiam non Chriſto, ſed Antichriſto ſeruire: Vel tandem Occidens aliquando Septentrionem extra Eccleſiam naufragantem poſuit? Si Græcos Hæreticos, Oriens vocas; cùm ij minima ſint Oriẽtis pars, improbè Orientis nomen vſurpas; quandoquidem non paucæ ſunt in Oriente Eccleſiæ, quæ Romanæ obediunt, nec eam in Occidente funditus col-

lapſam dicunt. Quot verò in Septentrionali plaga Catholicæ Eccleſiæ vigent, quas nec Romana Eccleſia, velut naufragas extra Eccleſiam cenſet, nec ipſæ viciſſim Occidentalẽ Eccleſiã, velut Antichriſto obſequentem damnant? Hęc, animi petulantiam potiùs, ac mentiendi libidinem arguunt, quàm quòd aliquid veritatis ſtruant. Idcirco enim hæc, quæ aliquibus fortè leuia videntur, accumulas, vt Romanam Eccleſiam non Catholicam, non toto orbe diffuſam, ſed inter ſolius Occidentis anguſtias concluſam perſuadeas, vt paulò poſt his verbis colligis.

Quomodo nos apud nos ſolos, Mulierem hanc fortem reſidere vel cogimus, vel cogitamus? ab ipſius imperio, imò conſortio abſciſsis, & amotis tota pene Aſia, Africa, & bene magna parte Europæ. Noſtrum te eſſe ſimulas (M. Antoni) at noſter non es, ſed aduerſariorum: ex nobis prodiiſti, ſed non eras ex nobis, vt Ioannis verbis vtar: nam ſi fuiſſes ex nobis, permanſiſſes vtique nobiſcum: Non te velut noſtrum amplectimur, ſed tanquam aduerſarium Tertulliani dicto monemus. *Etiam de Oliuæ nucleo mitis, & opimæ, & neceſſariæ aſper oleaſter exoritur, etiam de papauere fici gratiſsimæ, & ſuauiſsimæ ventoſa, & vana*

Ioan. ep. 1. c. 8.

Tertull. de Præſcrip. Hæretic.

caprificus

caprificus exurgit. Ita & tu de noſtro fructificaſti, non noſter, cùm te ipſum & à veritate degenerem, & hæretico mendacio ſylueſtrem prodas.

Iamne cupis vt te à veritate degenerem probem? Expende in primis, quòd Catholicam, ac Romanam Eccleſiam, velut adulteram repudias, quam tamen veram, ac legitimam Eccleſiam, & incorruptam Chriſti ſponſam, omnia priora ſecula agnouerunt. Eam ſiquidem Prophetæ variis figuris illuſtratam delineant, velut Ciuitatis, Nauis, Domus, Columbæ, Regni, Sponſæ, Montis, Lucernæ; quæ ſanè alteri, quàm Romanæ Eccleſiæ conuenire nequeunt: Præterea illa Chriſti verba. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi*, &c. Satis apertè oſtendunt Romanam Eccleſiam in Petro, ac Romano Pontifice fundatam, ſolam in terris eſſe Eccleſiam Dei, nullo vnquam errore, aut infidelitate proſternendam: ipſum quoque Catholicæ nomen, ipſa cultus, ac Religionis vnitas, ipſa fida antiquitas, & conſenſio, ipſa doctrinæ ſynceritas, & cum antiqua doctrina conſpiratio, ipſa legitima Pontificum ſucceſſio, ipſa morum ſanctimonia, ac miraculo- *Mat. 16.*

tum fulgor, ipſa denique Romanæ Eccleſiæ conſtantia, atque inuictum robur, quo omnibus hæreſibus ac perſecutoribus ſuperior emerſit. Annō clara, ac perſpicua tibi eſſe poſſet illius veritatis teſtimonia ſi tamen vera audire, ac perſpicere velles?

Poſtremò te à veritate degenerem euincunt omnes priorum ſeculorum Patres, qui Romanam Eccleſiam duntaxat, verā, ac Catholicam prædicant. Ita ex Græcis Irenæus lib. 3. c. 3. Ita Patres Concilij Nicęn. 1. in Canonibus collectis ex epiſt. Iulij Pap. Can. 2. & ex Canonib. ex Arabico tranſlatis Can. 39. Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorū Thebaidarum, & Lybiorū Epiſcopi ep. ad Fœlicem 2. Papam. Baſilius ep. 52. ad Athanaſiū Gregor. Nazianzenus orat. 52. quæ eſt ep. 2. ad Cledonium. Chryſoſtomus epiſt. ad Innocent. Papam. Tandem Patres Epheſini Concilij epiſt. ad Cæleſtinum Papam. Ex Latinis. Cyprianus libr. 1. epiſt. 3. & libr. 4. epiſt. 8. Ambroſius orat. funebri de exceſſu fratris ſui Satyri, & ad cap. 3. prioris ad Timothæum, Optatus libr. 2. aduerſus Parmen. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum Papam, & ep. 8. ad Demetriadem c. 9. Auguſtinus ep. 157. 162. & 165. Patres Concilij Mileuitani epiſt. ad Innoc. Papam, & Carthagi

thaginenſis Concilij epiſt. ad eundem, & alij plerique, quos ſi candidè, vt par eſt, conſuluiſſes, te profectò ab hæretica, ac nefaria illa voce cohibuiſſent.

At iam rationem expendamus, quæ tibi Romanam Eccleſiam repudiandam perſuaſit. Ea eſt; quia ab ipſius imperio, imò conſortio abſciſſę, & amotę ſunt tota pene Aſia, Africa, & bene magna pars Europæ. Quis ratiocinationem hanc ferat? Quamplurimæ hæreſes ſunt in Eccleſia: Ergo Eccleſia eſt repudianda. Liceat mihi eodem argumento contra te agere. Ab Anglicana Eccleſia, quã tu colis, ſemota eſt tota Aſia, tota Africa, tota America, ac pene tota Europa: cur igitur Anglicanam Eccleſiam non repudias? Eſtò, maxima orbis pars ab Eccleſia recedat: num Eccleſia vera eſſe deſinit? At inquis. *Eccleſia profectò vera Mulier hæc fortis eſt, ſi verò fortis non ſit, Eccleſia non eſt: Fortis verò eſt, quia vna, quia magna, & toto orbe diffuſa: Ex vnitate fortis eſt, ex vniuerſitate catholica.* Error errorem fouet: Eccleſiam quidem diuino præſidio munitam, ita fortem agnoſcimus, vt ex hypotheſi, vera Eccleſia non ſit, ſi fortis eſſe deſinat. Sed vnde Eccleſiæ fortitudinem venaris (M. Antoni)? Si ex illius vnitate? Haud malè colligis; ſicut enim

diuiſio diſſolutionem, diſſolutio interitum parit: Ita ex vnitate concordia, & ex concordia fortitudo, ac diuturnitas exoritur. At quænā vnitas eſt, quæ Eccleſiæ fortitudinem præſtat? Num ea, quæ cœlorum omnium ambitum complectitur, ita vt Eccleſia fortis eſſe non poſſit, niſi cuncta orbis totius loca occupet? Id enim te velle inſinuas, cùm addis, *quia magna, quia toto orbe diffuſa.* At falleris, vnitas enim, quæ Eccleſiā fortiſſimam reddit, ea eſt, quæ fideles in vnam religionem, in vnam fidem, in vnam doctrinam, in vnum viſibile caput à Chriſto inſtitutum cogit; hæc intima, hæc eſſentialis, hæc ſola Eccleſiæ vnitas eſt, qua Eccleſia ſubſiſtit, ſine qua Eccleſia eſſe non poteſt, quæ inuictam, quę inexpugnabilem, quæ Inferis formidabilem præſtat, quæ tandem de hęreticorum ſectis triumphat. Hæc Eccleſiam Catholicā præſtat, cùm id prædicat, id credit, id docet, quod ſemper, quod vbiq; quod ab omnib⁹ creditum eſt. Quòd verò Eccleſia ſit magna, ſit ampla, toto orbe diffuſa, id parum ad Eccleſię veritatē cōfert: Nā etſi Deus Eccleſiā toto orbe diffundēdā promiſerit, haud tamen sēper toto orbe diffuſam fore pollicitus eſt. Annon Eccleſia olim parua fuit, cùm Tyrannorum tempe-

ſtate

ſta te in cryptis,ac ſpelūcis deliteſceret? Annon Paulus venturas hæreſes prænunciat, quæ orbis partem occuparēt? Annon futuram ſub Antichriſto diſceſſionem præmonet Apoſtolus, cùm vix publica Chriſtiani nominis profeſſio inter homines futura erit. Quis tūc Eccleſiam extinctam, vel extinguendam credat? Certèquemadmodum maior, vel minor corporis magnitudo, quæ corpori eſſentialia ſunt, non attingit, neque illius veritatem, quæ ſubſtantiæ, non accidenti innixa eſt, auget, aut minuit: Ita nec Eccleſiæ veritas vllis ipſius amplitudinis terminis ita circumſcribitur, vt ſi ampla, ſi magna, ſi toto orbe diffuſa non ſit, Eccleſia eſſe deſinat. Erras igitur, cùm Eccleſię veritatē ad illi⁹ amplitudinē examinādā vocas.

At Eccleſiæ vnitatem, ac vniuerſitatem te optare dicis, quàm Catholicæ Eccleſiæ, ac cæterarum ſectarum, quæ in orbe pullulant diſſenſionibus ſolui & reſtringi, imò Chriſtum ipſum, qui Eccleſiæ amplitudinem pollicitus eſt mēdacem fieri exiſtimas. Sed cur id optas, quod Eccleſiam ipſam è medio tollit? Equidem id ſummis votis expetendum eſſet, vt omnes vnum ſimus in Chriſto, & vno ore honorificemus Deū ſeruātes vnitatē ſpiritus in vinculo pacis, vnū Eph. 4.

corpus, &

& vnus ſpiritus, ſicut vocati ſumus in vna ſpe vocationis noſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Num tu aliquam nobis huius confractæ vnitatis redintegrandæ, ac concordiæ ineundæ viam aperis? Audio, quæ nobis ſub fucato pietatis prætextu callidè perſuadere cupias: Primum quidem charitatem vrges, ne aduerſus matris noſtræ, Eccleſiæ nimirum, filios (ita ſectarios appellas) tam acerbé, ac hoſtiliter pugnemus, vt eos extra Eccleſiam eiectos, atque omni ſpe ſalutis deſtitutos ad inferos detrudamus. Equidem iam omnino tibi delictum eſt, quòd Sectarios, & Hæreticos, Eccleſiæ filios appellas, qui cùm apertum aduerſus Eccleſiam bellum gerant, eos potiùs Eccleſiæ hoſtes, ac debellatores quàm filios nuncupare deberes. Quare hoc te nomine prodis, te iam hoſtibus Eccleſiæ dextram dediſſe, & turpi fœdere inito fraternitatis iura, cum iis communia habere.

Túnc Eccleſiæ filios illos appellas; quos Antichriſtos nuncupat Ioãnes, Pſeudoprophetas Matt. Magiſtros mendaces Petrus, Nubes ſine aqua, arborès autumnales, infructuoſas, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in ęternum

Ioã. 1. c. 4.
Matt. 24.
Pe. 2. c. 2.
Iudas in epiſt.

Iudas; quos Ignatius Sobolem diaboli appellat, Ambroſius lupos veſpertinos, qui inſidiantur ouibus, fremunt circa caulas Eccleſiæ nocturno magis tempore, quàm diurno. Atque idem c. 9. vulpes, quæ circumſcriptionibus ſuis, alios decipere conantur. Auguſtinus Cymphes, quæ minutulis, & ſubtilibus verborum ſtimulis aures terebrant, Hieronymus, non homines, ſed iumenta, quæ in ſuo ſtercore putreſcunt: Chryſoſtomus, ſerpẽtes quia prudentes ſunt in malo, & ſtulti in bono. Clemẽs Romanus lupos ouina pelle tectos, partes vulpium, & vinearum, quæ vites depreſſas & in terram ſparſas habeãt: deuaſtatores, quorum opera, & ſtudio multorum charitas refrigeſcet. Poſtremò audi quibus nominibus idem auctor, hos quos tu Eccleſiæ filios nuncupas, cenſeat appellandos. *Hi enim* (inquit) *ſunt aduerſarii, & inſidiatores Eccleſiæ, qui corrumpunt gregem, & fœdant hæreditatem, ſapientiæ ſimulatores, & toti improbi: De quibus aiebat Salomon. Qui ſunt impii, ſimulant ſe pios eſſe. Eſt enim, inquit, via quæ quibuſdam videtur recta: extrema verò eius ſpectant ad profundum inferni. Hi ſunt de quibus acerbè & rigidè pronunciauit eſſe Pſeudochriſtos, & falſos magiſtros, qui in* Spiritum *gratiæ blaſphe*

Igna. in epiſt. ad Tralliũ.
Ambroſ. l. 7. in Lucam c. 10.
Aug ſer. 86. de tẽp.
Hieron l. 4. in Iſa. c. 10.
Chryſ. ho. 45. in Mat.
Clemens Ro in cõſ. Ap. l. 6. c. 13.
idem cap. 18. eiuſdem libr.
Pro. 14.

blaſphemi fuerunt, & donum eius poſt gratiam cõtumelioſè aſpernati sũt, quibus nec in hoc ſæculo, nec in futuro remittetur, qui magis impij ſunt, quàm Iudæi, & magis ſine Deo, quàm Gentiles, qui ſummum Deum vniuerſi Præſidem blaſphemiis inſectãtur, & filium eius conculcant, ac in doctrinam Spiritus ſancti deſpuunt, qui ſermones Dei negant, aut approbare ſe ſimulant in contumeliam Dei, & ad decipiendum eos, qui ipſos adeunt, quique Scripturis ſacris contumeliam inferunt, & quidnam ſit Iuſtitia, ignorant, qui Eccleſiam deuaſtant, vt paruæ vulpes vineam, quas vt deuitetis hortamur. Hoſne igitur tu Eccleſiæ filios appellas, qui filios Eccleſiæ omnibus, quibus poſſunt modis oppugnant? Lubet te Chryſoſtomi verbis arguere qui te apertè percutit, ita ſcribẽs. *Si filios Eccleſiæ non perſequuntur Hæretici, neque aduerſantur, & ipſi filij ſunt Eccleſiæ: Si autem perſequuntur, ſemen ſunt ſerpentis illius, cuius ſemen inimicitias exercet aduerſus ſemen Eccleſiæ.*

Chryſoſt. hom. 45. in Matt.

Sed hos Sectarios, de quibus agimus, fortè non Hęreticos, ſed fideles eſſe cẽſes? Haud mirũ; nam cùm eos ad eiuſdem Eccleſiæ, ac fraternitatis tuæ iura admiſeris, caues ne ſi Hæreticos appellaueris, eodem te prorſus nomine Hæreticum nũcupes. At Hęreticos eſſe teſtantur eorum ab antiqua fidè, & Eccleſia

cleſia defectio,ſectarũ diuiſio,trita ipſa Hęreticorũ doctrina, olim ab Eccleſia dãnata, quæ apud illos viget, nouitatis ſtudiũ,fidei incõſtantia: demũ eorum aduerſus Romanam Eccleſiã rebellio, nam vt Chryſoſt.ait. *Omnis hæreſis ſuper Eccleſiam veritatis exurgit: Omnes autem vnã debellant Eccleſiam veritatis.* *Chryſoſt. hom. 48 in Matt.*

Verùm alia proſequamur.Petis, vt controuerſiis noſtris finem imponamus, neque aduerſus ſectarios pugnemus, quò facilius pax,& concordia cum iis iniri valeat. Cur & illis Eccleſiam non petis? Atque ipſa Eccleſiæ iura, pro quibus nos aduerſus illos decertamus, illis non adiudicas? Qui malũ non arcet,cum poſſit,ac debeat, malo conſentit.Hæreſes non repellere, neque aduerſus illas pugnare, iis præſertim, quibus Eccleſiæ tuendæ onus, vel ſtudium incumbit, eſt hæreſes admittere, & quaſi de accepta fide dubitare.Si ſeditioſum eſſe iudicas pro Eccleſia, pro fide, pro Religione aduerſus Hæreticos pugnare; quid tu pro noua Eccleſia, quam tibi ex omnium ſectarum colluuione cõpactam (Catholicã enim Eccleſiã excipio)conſtruere paras,pro errore quẽ velut ſacram fidem amplecteris:pro hæreſi, quam tanquam Religionem colis, contra nos tam acerbè,ac hoſtiliter pugnas? Num

idhæreſi

id hæreſi, errori, ſectæ potius, quàm veræ Eccleſiæ, veræ fidei, veræ religioni tribuendum eſt, vt pro illis, non pro iis decertetur. Iniqua petis (M. Antoni) cùm Eccleſiæ cauſa agitur, non otiandum, non diſſimulandum, non tacendum eſt; ſed pro ea, voce, ſcriptis, ferro pugnandum. *En lectulum Salomonis*, qui Dei Eccleſia eſt, *ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſsimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi*: Hęreſes non ad Eccleſię internecionem datæ ſunt, ſed ad illius exercitium, ait Aug. vt S. Catholicam diſciplinam aduersùs eorum inſidias aſſerentes vigilantiores, & cautiores ſimus; quapropter iis aduersùs hæreſes decertandum eſt, quibus huius lectuli cura demandata eſt. Quid? Annon Elias pro hoc Eccleſiæ lectulo aduerſus ſeptingentos Sacerdotes Baal conſtanter pugnauit? Quid Prophetæ? quid Martyres? quid Eccleſiæ doctores? Num idolorum cultu, num fidei perſecutione, num hæreſibus in Eccleſiam graſſantibus tacuerunt? Aut fidei rebus cum Hęreticis cōpoſitis, iniqua pace potiti ſunt? Quando vnquam Athanaſius, Hilarius, Cyrillus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, ac plęrique alij contra Arrianos, Macedonianos, Eutichianos, Neſto

Cant. 3.

Aug. de vera relig. c. 8.

Neſtorianos, Luciferianos, Donatiſtas, Manichæos, Pelagianos, ac cætera Hæreticorum monſtra dicendi, ſcribendi, pugnandi finem fecerunt? Certè irrefragabilis eſt Chriſti ſententia, *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*, Qui pro Eccleſia non eſt, cùm de fide agitur, qui pro ea non pugnat, & in acie non ſtat, cùm opus eſt: aduerſarius eſt, hoſtis eſt, contra illam eſt: neque enim cum illa fidem colligit, ſed potiùs extra illam, fidem diſpergit. *Luc. 11.*

Sed quænam, obſecro, cum Hæreticis pax, aut concordia iniri poteſt? Qui cùm vbique de grauiſſimis fidei rebus inter ſe conflictentur, inuicem pacem habere non poſſunt. Notum eſt quanta ſint in Germania inter Lutheranos, & Caluiniſtas diſſidia, ita vt plerumque mutuò ſeſe è ciuitatibus expellāt, neque vllo furori parcant, quò alij alios ad vulnera, ad ſanguinē, ad necem vſque perſequantur. Certè eo vſque hæc ipſorum diſcordia progreſſa eſt, vt nullis colloquiis, nullis ſynodis, nullo principum edicto ſedari; imò nec vllas belli inducias obtinere vnquam potuerit. Id ſanè tibi, qui Catholicorum, & Hæreticorum cōciliator haberi cupis, prius enitendum, ac præſtan-

dum erat, vt varias Hæreticorum ſectas, quę paſſim in orbe tumultuantur ad concordią cogeres; tum, deinde nos ad pacem inuitares. At faciliùs, M. Antoni, feroces, ac natura ſua indomitas belluas ad manſuetudinem pertrahas, aut ex lupis agnos efficias, quàm ſuperbas, ac proprio ſenſu ferocientes ſectas ad vnitatem colligas. Etenim ſemel violata Eccleſiæ concordia, non eſt modus, aut finis diſſenſionum: neque enim Chriſtus aliter cum ſectariis pugnat, quàm mixto inter eos ſpiritu vertiginis, & diſſenſionis.

Iam verò, cùm Sectarios inter ſe conciliare nequeas, qui tamen in malo conſentire valent: quomodo Catholicam Eccleſiam, cum ſectis: fidem, cum perfidia: hęreſim, cum veritate: Chriſtum, cum Antichriſto te conciliare poſſe credis? Num in eodem Templo Deus, & Dagon: in eadem ſede Chriſtus, & Belial: in eodem gremio veritas, & mendacium: Atque in eodem temporis momento lux, & tenebræ collocari valent? An ignoras ſectarios omnes ſerpentis illius ſemen, ac progeniem eſſe, Gen. 3. de qua, Scriptura teſtatur. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo*

calcaneo eius. Vnde ergo tibi hæc ſententia, vt inter mulierem, quam tu ipſe Eccleſiam doces, & ſerpentis ſemen, amicitias iungere te poſſe putes? Verũ accipe ſententiæ tuæ Cenſorem Chryſoſt, qui de Hæreticis ſcribens. *Sicut ſerpentes* (inquit) *varij ſunt in erroribus ſuis, & multiplices in malignitate, qui depoſuerunt imaginem Dei, quæ eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, & ſuſcipientes imaginem ſerpentis, quæ eſt in malitia, & ſchiſmate veritatis facti ſunt ſerpentes, filij ſerpentis illius ad quem Dominus in perſona Eccleſiæ, & diaboli, dicit. Ecce pono inimicitias inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius. Propter quam ſententiam Domini inter Hæreticos, & Chriſtianos pax non poteſt eſſe.* *Chryſoſt. hom. 45. in Matt.*

Cæterùm, quid nos impietatis, vel nimiæ ſeueritatis accuſas, quòd ſectarios ab Eccleſiæ vnitate diffutos, quamdiu in animo hæreſim, ac ſchiſma nutriunt, ſpe omni ſalutis deſtitutos ad tartara relegamus? Certè non nos, ſed ſcripturas, ſed Apoſtolos, ſed Patres orthodoxos accuſas: non enim noſtrum hoc iudicium eſt, ſed Chriſti. Apud Matt. 13. Vbi parabolam Zizaniorum agri pertractans, ait: *Tempore meſsis dicam meſſoribus; colligite primùm zizania in faſciculos ad comburendum: triticum autem*

congregate in horreum meum. Zizaniorum nomine Sectarios, vel Hæreticos ſignificari, teſtes ſunt Auguſt. lib. quæſt. Euang, in Matth. c. 11. Chryſoſt. & alij plerique Patres.

Aug l. q. Euang. in Matt. c. 11.

Porrò ſi cœleſte edictum, Diuino Chriſti ore promulgatum, hac pœna Hæreticos mulctat, vt mortis tempore aduentante in faſciculos colligantur, ac flammis æternis tradãtur: cur nos crudelitatis ſugillas, quòd diuini huius edicti ſeueritatem prędicemus? Cur ſimul (quæ tua modeſtia eſt) Iudã Apoſtolum non ſugillas, qui Sectariis, ac Hæreticis, procellã tenebrarum ſeruatam eſſe in æternum diſertis verbis affirmat? Cur Paulũ eiuſdem criminis non inſimulas? Qui iram Dei de cœlo reuelari clamat ſuper Hæreticorum, ac Sectariorum impietatem, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, & ſepeliunt. Adeóque Hæreticorum, ac Sectariorũ amicus, ac frater es, M. Antoni, vt ſtare, & viuere putes (Cypriani verbis vtar) de Eccleſia recedentem? cùm dictum ſit ad Raab, in qua præformabatur Eccleſia; patrem tuũ, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domũ patris tui colliges ad teipſam in domum tuam; qui exierit oſtium foras domus tuæ reus ſibi erit. At meliùs profectò tibi conſultum erit, vt Hæreticorum patrocinio relicto,

Iudas ep.

Rom. 1.

Cypr de unit. Eccl.

Ioſue 2.

relicto, Catholicum Auguſtini iudicium, ac definitionem amplectaris, his verbis conceptam. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, vel Schiſmaticum in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti Nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari: omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro Chriſti Nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica, vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.* *Aug. de fide ad Pet. c. 39.*

Sed iam te opportunúmne, an importunum: probúmne, an improbum: iuſtúmne, an iniuſtúm, alij iudicent. Hortatorem audio. *Noſtrûm* (inquis) *eſt, Fratres, & Patres mihi colendiſſimi, iam tandem Chriſti vocem attentè audire.* Vtinam, M. Antoni, Reuerendiſſimos Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos fratres, ac patres tibi vendicares. Nam ſi fratres illos haberes, certè eandem matrem, Romanam Eccleſiam agnoſceres: ſi Patres, eorum diſciplinam reciperes. Verùm cùm excuſſo fidei iugo, & Patrum diſciplinam, & matris legem repuleris; abſit, vt hæc capiti tuo gratia addatur, quòd ſacri Epiſcopalis ordinis

frater, aut filius nuncupandus ſis: aduerſarius es, hoſtis es, perduellis es: neque eos fratres, aut patres tibi vendicare licet, ſed ſceleris tui iudices, ac vindices. At quænam eſt illa Chriſti vox, quam tot orbis Epiſcopi, hactenus attentè non audierunt, nec perceperunt? Eáne, quam paulò ante protuliſti, dilatandam nempe eſſe Eccleſiam ab Hieruſalem, vſque ad vltimum terræ? At ſcripturarum illa vox eſt, omnium auribus inſtillata, ſed non æquè bene à te perceptam ſuperiùs euicimus. Eccleſiam toto orbe, vel iam diffuſam, vel poſtremis temporibus diffundendam omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopi attentè audiunt, ac fideliter fatentur. Eam verò poſt hæc Chriſti verba toto orbe, neceſſariò ſemper fore diffuſam, tu ſolus nec bene, nec attentè audis; cùm nullo Scripturarum, aut Patrum teſtimonio probare queas, veram Eccleſiam non eſſe, niſi quæ toto orbe ſemper ſit diffuſa. Nam quod Auguſt. lib. de Paſtor. & paſſim contra Donatum, hoc argumento verã Eccleſiã eſſe probat, quia eſt toto orbe diffuſa, atque inde partem Donati, non eſſe Eccleſiam euincit, quòd in exiguo Africæ angulo eſſet concluſa, id Auguſtino licuit, quandoquidem

Aug. l. de Paſt.

ipſius Auguſtini tempeſtate; Chriſti Eccleſia toto orbe diffuſa erat, vt ipſemet teſtatur his verbis. *Quando dicebatur Eccleſia Chriſti futura per totum orbem terrarum, dicebatur à paucis, & credebatur à multis; modò iam impletum eſt, quod tantò ante prædictum eſt: diffuſa eſt Eccleſia per totum orbem terrarum.* Atque id ipſum confirmat in Pſalm. 58. in 1. partis enarratione; quò fit vt argumentum pro veritate Eccleſię Auguſtino quidem firmum fuerit, ex ipſo prænunciatæ rei euentu petitum; quod tamen apud priora ſecula, quæ Auguſtinum præceſſerunt, ac poſteriora, quæ illum ſequuta ſunt, cùm vel nondum Eccleſia erat toto orbe diffuſa: vel aliqua orbis pars à fide defecerat, vim non habuiſſe certum eſt, ſed (vt alibi explicabimus) Auguſt. cùm Eccleſiam toto orbe diffuſam docet, non per omnia loca diffuſam, ſed vbique eadem fide conſtantem affirmat.

Aug. ſer. 109. de temp.

Idem in Pſ. 58.

Quapropter fruſtrà Epiſcopos hortaris, vt Chriſti cauſam ſeriò agant, vt Chriſti ſponſam ſtrenuè refocillent: ſemper enim Chriſti cauſam ſeriò agunt, & Eccleſiam refocillant, cùm nouis dogmatibus, ac nouis doctrinis quæ (vt Apoſtolus ait) dæmoniorum doctrinæ ſunt

Paul. 1. ad Tim. c. 4.

ſeſe opponunt,& contra Nouatores pro antiqua Eccleſiæ fide pugnant.

Cæterùm,quod illorum munus eſſe dicis. *Mente, & cogitatione, tanti mali radicem funditus indagare: Mulierem hanc fortem illorum culpa obtectam, obſcuratam, profugam quærere,& inuenire: Ciuitatem hanc Eccleſiæ, graui incendio correptam, corruptamq́; redintegrare, vepribus, ac dumetis circumſeptam perpurgare, aperire,& rurſus conſpicuam reddere, ac manifeſtam.* Veterem tuam,ac Sectariorum fratrum tuorum cantilenam illis occinis, ſeu potius obſtrepis. At fruſtra callida,ac melle delinita, ad illorum euerſionem verba componis. Non vacillantes Eccleſiæ lapides, vt putas, non lapſas,vel labentes columnas, non trementes parietes doloſis verbis oppetis: ſed fortiſſimos Eccleſiæ muros,ſed adamantinos lapides, ſed Iaſpidea propugnacula, quæ nulla vi,nullo æſtu, nullis verborum lenociniis ſe dirui ſinant,tibi oppoſita experiris.

Lutherus libr. de abr. miſ. & Calu. l.4.Inſt. c.2.§.1.

Iam pridem Lutherus in lib.de abroganda miſſa priuata,& Caluinus libr.4. Inſtit.c. 2. §.1 & quotquot vtriuſque ſectas profitentur, veram Eccleſiam in orbe periiſſe docuerunt. Imò & multò his priores Donatiſtæ, & quicunque olim nouas ſectas excitare viſi ſunt, vt Eccleſiæ nomen ſuis ſectis impone

imponerent, antiquam Eccleſiam penitùs defeciſſe,ac dirutam in parietinis, ac ruderibus iacuiſſe autumarunt, vt teſtis eſt Auguſt. de Donatiſtis. Tu quidem non funditus deletam, ſed *inter rudera, & ruinas*,(hæc tua verba ſunt)*inter cinerem multum, & fauillas,inter nigredinem,& fuliginem obſcuram,corruptam*,iacere,ac deliteſcere affirmas. Non animaduertis te omnem prorſus Eccleſiam è medio tollere,cùm deliteſcentem, ac corruptam tibi perſuades.Eia,M.Antoni, ſi vel minima poſt tantas errorum tenebras, quibus demerſus es, lux tibi in animo reliqua eſt,hanc ad veritatem prouoco.Deliteſcentem, ac corruptam quidem Eccleſiam doces; ſed mœnia ſperas,imò ſcis eſſe integra, & illæſa; *murumq́ integrum*,ais, *nobis relictum eſſe,ſacram,diuinam,Canonicam ſcripturam, turres adhuc antiquas extare,Patres ſanctos, & orthodoxos Doctores incorruptos, Concilia antiqua.* Iam tuis, ac ſcripturæ verbis vtar; ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula; turres contemplemur;eorum normâ,nos & noſtra, quod ad rem attinet metiamur; eorum ſtemus documentis, ab iis vniuerſis ne latum quidem vnguem liceat diſcedere, ex his verè puriſſimis & candidiſſimis lapidibus argentea propugnacula extruamus,vt

Auguſtinus.

candidam veritatem, candido mentis affe-ctu propugnemus. Vides quàm æquum me ac benignũ Antagoniſtam habeas. Et quandoquidem hic tuorum errorum fons eſt, & origo, quòd Eccleſiam obſcuram, ac corruptam exiſtimas, paucis amicè, pacatéque, eo prorſus, quo tu ipſe petis, modo, ac conditione errorem tuum diſcutiamus.

Vndenã, M. Antoni, Eccleſiã obſcuram ac corruptam, eſſe nobis probas? Quo argumento, quibus Scripturis, quibus Patrum teſtimoniis, quibus conciliis? Ad hæc enim propugnacula nos prouocas, quæ candidam veritatem aperiant. Iam nulla huiuſmodi argumenta profers, iam ſine propugnaculis aduerſus Eccleſiam pugnas. Nam quæ prius ex Act. 1. & ex Auguſt. & Chryſoſt. attuliſti, adeo leuia ſunt, ac labilia, vt vix ipſa rei veritate inſpecta, corruerint. Ea te inquis in toto opere agitare. Eſto: Hîc propugnaculis cares, illic quid extructa tua propugnacula valeant examinabimus. Iam verò quibus aduerſum te propugnaculis pugnemus candidè accipe.

Prophetarum, Euangeliſtarum, Apoſtolorum, Patrum (parcè tamen) aduerſus biceps hoc errorum tuorum monſtrum propugnacula erigimus. Quòd attinet ad primum

mum caput,quo obſcuram,ac latentem Eccleſiam tibi effingis, cùm illud iam ſuperiùs à nobis confutatum fuerit, noua hîc cenſura,aut confutatione non indiget:quare alterum tantùm conterendum ſupereſt, quo illam vitiis, ac erroribus quamplurimis corruptam tradis.Hîc primùm te ad Scripturas prouoco, quãdoquidem Scripturarum propugnaculis aduerſus hunc errorem, quem cum Sectariis cõmunem habes priùs nobis decertandum eſt. Si Eccleſia poſt tot ſecula erroribus,ac hæreſibus corrupta,inter rudera, ac ruinas ſepulta eſt, quomodo eam Iſa- *Iſaias. c.* ias multò antè illius ortum, nullo vnquam *33.* tempore corrumpendam eſſe prenunciauit, illis verbis? *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ Hieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & funiculi eius non rumpentur.* Neque n.te ignorare arbitror nouâ hâc Hieruſalem, Chriſti Eccleſiam ſignificari: cùm eodem prorſus nomine Ioannes Eccleſiam nuncupet, cùm *Ioa. Apo.* ait. *Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem, nouam 21.* *deſcendentem de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, atque in hac explicatione conſentiunt ferè vniuerſi Patres. Origenes in Iſa. *hom.* 8. *Hieron. in Ezech.* 16.

Auguſt.

Auguſt. in Pſ.61.& 64. Greg. in Cant.c. 3. Præclarè verò Procopius antiquiſſimus pater in Iſaiam ſcribens,hunc locum ediſſerit, his verbis: *Nam quid Propheta ſibi vellet, ſi diceret, oculi tui videbunt Hieruſalem, ſi de Hieruſalem antiqua & veteri intelligeret? Longè maius aliquid à Propheta intelligitur, quod ſequentia verba demonſtrant: deſcribitur enim ſtabilis, & immota: at vetus Hieruſalem corruit & ante vltimam vaſtitatem armis hoſtilibus ſæpe fuit peruia. Noua Hieruſalem immota manet, manebitque ſemper, vt pote quæ ſita eſt in petra, aduerſus quā portæ Inferi non præualebūt.*

Porrò ſi illud ex hoc teſtimonio certum eſt,Chriſtianæ Eccleſiæ,quę diuinum Chriſti tentorium eſt, clauos ita in fide,ac Apoſtolica doctrina profundè defixos eſſe, vt nulla hæreſum vi auferri poſſint, funiculos quoque Patrum doctrinæ, cum Apoſtolica fide ac doctrina conſentienti tam ſtrictè eſſe alligatos, vt nullo vnquam tempore diſſolui queant;quid tu corruptam,ac proſtratam Eccleſiam eſſe fingis? Si Eccleſiam à fidei candore, ac integritate iamdudum dilapsā obſcuram, ac corruptam iacere exiſtimas: quid idem Iſaias perpetuam ac indelebilē ipſius fidem, immobilemque in fide conſtantiam tantopere commendat illis verbis:

Cùm venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ex iniquitate in Iacob, dicit Dominus; Hoc fœdus meũ cum eis, dicit Domin⁹ Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, nõ recedẽt de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodò, & vſq; in ſẽpiternũ. Vides, M. Ant. Patrem cum Chriſto Eccleſiæ Redẽptore, ac Parente, fœdus hoc iniiſſe, vt Spiritus ſãctus, qui fuit in Chriſto, perpetuò in Eccleſia, quæ illius ſemẽ eſt, reſideret, & verba fidei, quæ à Chriſti ore ſemel effluxerũt, nullo vnquam tẽpore ab ore Eccleſiæ receſſura eſſent: deniq; vt Eccleſia in vera fidei doctrina ſẽper ſtabilis, integra, & incorrupta permanſura eſſet. Quod ipſe Saluator, velut Iſaiæ interpres clari⁹ exponit dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* Quid luculentius ad perpetuam Eccleſiæ incorruptionem, quæ cum fidei perennitate coniuncta eſt, ſignificandam, dici potuit? Quàm Spiritum Chriſti, Spiritum, qui à Patre, Filioque procedit, Spiritum veritatis perpetuum illi magiſtrũ, ac doctorem fore: ex quo fieri neceſſe ſit, vt verbum fidei, quod Eccleſia ſemel à Chriſto accepit, nunquam de illius ore recedere debeat, ac proinde nullis vnquam erroribus, aut mendaciis corrumpenda ſit.

Iſa. c. 59.

Ioan. 14.

Si iam

Si iam poſt tot annos Chriſti Eccleſia corrupta, ac erroribus proſtituta eſt. Quid Oſeas Eccleſiam, & Chriſti ſponſam, & indiſſolubili fidei coniugio Chriſto copulatam affirmat illis verbis. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in Iuſtitia, & in iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide.* Quem locum Hieronymus, ac reliqui Patres conſtanter de Chriſti, & Eccleſiæ coniugio exponunt. Nam ſi Eccleſia, ita Chriſto deſponſata fuit, vt coniugium Chriſti ſanguine ratum, fidei amplexu conſummatum, tandem cœleſti chirographo, ac diuina promiſſione obſignatum, ſempiternum, ac perenne à vate prænunciatum fuerit. Qua licentia, qua temeritate, qua Chriſti iniuria, tu Eccleſiam perpetuam, ac caſtiſſimam eius ſponſam proſtitutam, corruptam, conſtupratam effutire audes? Ex quo fieri neceſſe ſit, vt oblato libello repudij, ac diſſoluto coniugio, eam Chriſtus velut adulteram deſeruerit. At contra te pro Eccleſia pugnantem Cyprianum audi. *Adulterari* (inquit) *non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.*

Oſe. c. 2.

Eccleſiam eſſe æternum Chriſti regnum ac im

ac imperium nunquam corrumpendum, aut diſſipandum; poſt Iſaiam Daniel quoque apertiſſimis verbis declarat, cũ ait. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternũ non diſſipabitur, & Regnũ eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & cõſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Hæc de Chriſti regno, ſcilicet Eccleſia, ad literam dicta eſſe tradunt Origen. hom. 30. in Luc. Hieron. in 1. cap. Eccleſiaſtis, & in cap. 21. Ezech. Auguſt. tract. 51. & 117. in Ioan. Gregorius Nycænus lib. 1. de oratione. Epiphanius lib. 1. contra hæreſes, & eſt communis Patrum expoſitio, quam iure minimè repudiare debes: Cùm in his te tuæ doctrinæ firmiora propugnacula erexiſſe iactes. At ſi corrupta eſt Eccleſia, quo pacto hoc Eccleſiæ Regnum adeò firmum, ac ſtabile in orbe vates pollicetur, vt nulla vnquam vi diſſipandum, neque vlla annorum diuturnitate, velut cætera orbis regna immutandum, aut corrumpendum ſit? Cur adeo incorruptibile aſſeritur, vt etiam reliquis omnibus idololatriæ, hæreſũ, ſectarum regnis conſumptis, illud tantùm immotum in orbe futurum ſit? Vides, M. Antoni, te candidam huius ſacri vaticinij veritatem conuellere.

Iſai. c. 9. Dan. c. 2.

Orig. hõ. 30. in Lu-cam. Hie-ron. in 1. c. Eccleſ. & in ca. 21. Heze. Auguſt. tract. 51. & 117 in Ioan. Gre. Nic. l. de ora. Epip. l. 1. cõtra hæreſ.

Sed

Sed quid veterum Prophetarum teſtimoniis opus eſt, cùm firmiora nobis ex Euangelicis, atque Apoſtolicis Scripturis, huius rei propugnacula erumpant, vnde & nobis tela ad errorem tuum proſternendum copioſa ſuppetant. Quid illuſtriſſimo illi Chriſti teſtimonio reſpondes, M. A.
Matt.16. quod apud Matt. legis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* In eo ſiquidem duplici argumento Chriſtus errorem tuum aggreditur, ac confodit. Primò quidem cùm ait; Eccleſiam ſuper petram ædificari, ac fundari: ſiue enim petram cum orthodoxis Patribus, Petrum, aut Petri fidem, quod in idem recidit: ſiue cum Caluino, Chriſtum ipſum interpreteris, hîc non moror: id enim ex vtroque ſenſu certum eſt Eccleſiam tam firmè, ac ſolidè fundatam eſſe, vt nullatenus labi, aut corrumpi poſſit. Nam ſi Catholicorum
Cyrill. li. 4. dialog. Patrum ſenſum amplecteris, habes Cyrillum ita hunc locum explicantem. *Petram opinor per agnominationem aliud nihil, quàm inconcuſſam, & firmiſsimam diſcipuli fidem vocauit, in qua, Eccleſia Chriſti ita fundata, & firmata eſſet, vt non laberetur.* Quem ſenſum proſequuntur etiam Origen. hom. 1. in

Matt,

Matth.Cypr.lib.1.ep.3.Hilar.can. 16.Ambr. in 6.c.Lucæ,& alij plerique Patres. Ex quo primùm tibi perſpicuum eſt, Eccleſiam ita in Petro,ac illius fide,quæ aliquando inconcuſſa, ac immobilis futura erat. Iuxta illud Lucæ,*Ego rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides tua*,Fundatam eſſe,vt à vera fide nunquã exorbitare poſſit. Si verò Caluini interpretationi adhæreas, ea firmiorem adhuc tibi Eccleſiæ ſoliditatem declarat, quæ cùm in Chriſto ædificata fuerit, profectò neque labi,neque corrumpi vnquã poteſt, niſi(quod impium,ac horrendum eſt)lapſum, ac corruptionem,Chriſto etiam affixeris.

Luc.22.

Id verò magis confirmat alterũ argumentum,quod ex poſterioribus verbis ſumitur, cùm dicitur.*Et portæ Inferi nõ prævalebunt aduerſus eam*.Nam Hieronymus portas Inferi; vitia,ac peccata, vel hæreſes interpretatur. *Ego*,inquit,*portas inferi reor vitia, atque peccata,vel certè Hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad Tartarum.* Quẽ ſenſum etiam amplectitur Greg. in Pſal. 7. pœnitent.Ephiphanius,verò portas Inferi, non ſolùm hæreſes,ſed etiam Hæreſiarchas ipſos exponit,qui fidem è medio tollẽtes, Auerni fores hominibus patefaciunt. Porrò ſi vitia, ac peccata,ſi hæreſes,atque errores,ſi Hære-

Hieron. comm. in cap. 16. Matth.

Epiphan. in Ancherato.

ſiarchæ,ſi tandem diaboli machinæ, muni-
tiones,artes,inſidiæ,potẽtia, quibus dæmo-
nes Eccleſiā oppugnant ex Chriſti præſcri-
pto;Eccleſiā expugnare,ac corrumpere ne-
queunt:cur tu vitiis, ac erroribus ita incen-
ſam,ac corruptam Eccleſiam affirmare au-
des?vt omnino primam Eccleſię formam,ac
ſplendorem amiſerit,ac per tot ſecula inter
rudera,ac ruinas oppreſſa iacuerit.

Sed quoniam plura huiuſmodi teſtimo-
nia(quæ nos in 2.tom. noſtrarum Demōſtr.
lib.1.Dem 8.per 5.articulos fusè proſequu-
ti ſumus)hîc exagitare, conſtitutas breuita-
tis metas violaret, quædam alia tantùm tibi
indicare potiùs, quàm pertractare lubet.
Quid cœleſtis Nuncius magis quàm Eccle-
ſiæ in fide immobilitatem, & incorruptionē
Luc. 1. prædicat,cùm de Chriſto ita præcinit. *Et re-
gnabit in domo Iacob in æternum.* Cùm enim
eo teſtetur Chriſtum,perpetuam, ac immo-
tam regni ſedem in Eccleſia,quę domus Ia-
cob paſſim in Scripturis appellatur, collo-
caſſe: ſi falſis doctrinis corrupta eſt Eccle-
ſia,profectò & Chriſti regnū corruit, & ſe-
des confracta eſt,falſoq; Angelus Regni, ac
ſedis Chriſti æternitatem pollicetur.

Matt.28. Quid Chriſtus?Annon te tui erroris ad-
monet, cùm ait. *Ecce ego vobiſcum ſum om-
nibus*

nibus diebus, *vſque ad conſummationem ſeculi.* Hoc ſiquidem teſtimonio perpetuam ſuiipſius præſentiam, quæ nunquam ſine fide eſt, Eccleſiæ pollicetur: vt inde tibi perſpicuum ſit, Eccleſiam nullis vnquam hæreſibus, aut erroribus corrumpendam.

Quid Paulus? Annon Eccleſiam columnam, ac firmamentum veritatis appellat? Quo ſanè declarat fidei veritatem, ita ſolis Eccleſiæ humeris inniti, vt nec ſine Eccleſia, fidei veritas; nec ſine fidei veritate, Eccleſia vnquam eſſe poſſit. Cur igitur tu corruptam Eccleſiæ fidem eſſe cenſes? Plura alia omitto teſtimonia. *1. Tim. 4.*

Ad Patrum propugnacula accedo, qui dum communi ſenſu, Eccleſiã in fide ſemper integram, & incolumem docent, vno impetu aduerſum te pugnant. Pugnat in primis Martialis vir Apoſtolicus; *Inimicus*, ait, *qui nunc à cordibus veſtris proiectus eſt*, *venturus eſt*, *vt ſuperſeminet populo Dei grana errorum*, *ſed firma Eccleſia Dei*, *& Chriſti nec cadere*, *nec diſrumpi poterit vnquam.* Vides ex antiquiſſimo Apoſtolorum diſcipulo, Eccleſiam nunquam erroribus corrumpendam. *Mart. ep. ad Burdeg. c. 11.*

Pugnat Hieronymus docens Eccleſiam poſtquam ſemel à Chriſto illuminata

fuit, nunquam deinceps in errorũ tenebras incidiſſe. *Eccleſiæ* (ait) *dicitur, ſurge illuminare Hieruſalem, vt quæ cecidit in incredulis, ſurgat in fidelibus, quæ cecidit in ſynagogis, ſurgat in Eccleſiis, & poſtquã ſurrexerit illuminetur, vt nequaquam habeat erroris tenebras.* Quid tu ergo Eccleſiam obſcuram vocas, quaſi inter errorum tenebras degat?

Hieron. ad c. 60. Iſa.

Pugnat acerrimè Auguſt. his verbis *ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, cõtra omnes hæreſes pugnans. Pugnari poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam inutilia ſarmenta de vite præciſa: ipſa autem manet in radice ſua, in charitate ſua; portæ Inferi non vincent eam.* Iã ex Auguſt. diſce, M. Antoni, quænam vera Eccleſia ſit, quæ aduerſus hæreſes pugnat, & perpetuã fidem ſibi comitẽ habet. Ea enim nõ eſt Eccleſia latens, nõ inuiſibilis, nõ paucorum tãtùm obtutibus patens: ſed Eccleſia Catholica, viſibilis, conſpicua, omnibus patens, de qua hæreſes exeunt, ac velut ſarmenta inutilia præſcinduntur. Diſce hæreſes omnes vera Eccleſia poſteriores eſſe, cũ ex illa exeant, & aduerſus illam pugnent, ac propterea illam tantùm Eccleſiam pro vera habendam eſſe, quæ prior à Chriſto inſtituta, hæreſum quidem infeſtationes ſuſtinet; à fide verò dimoueri nunquam poteſt.

Aug. de ſymbo. ad cathecum. 5.

Pugnant Tertullianus de Præſcript. adu. Hæret. Cyprianus de vnit Eccl. Hilarius de Trinit. lib. 6. Ambroſius in c. 11. Luc. Athanaſius oratione, qua docet vnum eſſe Chriſtum. Cyrill. Hieroſol. cathec. 18. Theophilus Alexand. qui ante Chryſoſtomum floruit ep. ad Epiphanium, quæ eſt apud Hieron. epiſt. 67. vbi habet hæc verba. *Dominus, qui locutus ad Prophetam: Ecce conſtitui te, hodie ſuper gentes, & regna, &c. Singulis temporibus, eandem Eccleſiæ ſuæ largitur gratiam, vt integrū corpus conſeruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant: quod quidem videmus nunc expletum.* Chryſoſtomus ſerm. de Pentecoſte. Philo Carpathius in Cant. Cyrillus Alexand in Iſai. lib. 5. c. 54. Et reliqui Patres idem affirmant, quorum teſtimonia, ne paginas implere videar, pro inſtituta breuitate prætereo.

Verùm ſi pauliſper ad rationes ab ipſis Scripturis petitas diuertere licet. Túne, M. Antoni, ita indignè de Dei Sapientia ſentis, vt Chriſti Eccleſiā, quam ineffabili Dei conſilio hæreſum impugnatione, illuſtriorē fieri oportuit, iuxta Apoſtoli doctrinam dicētis, *oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Tu ita hæreſibus corruptam, ac diſformem ſtatuas, vt omni Religionis ſplēdore, 1. Cor. 11.

ac nobilitate deperdita:hæreſum triumphis victa ceſſerit? & tot ſeculis velut transfuga inter ignotos orbis ſinus latere compulſa fuerit? Ex quo tibi aduerſus Scripturas concludendum ſit, dæmonum artes aduerſus inuictum Dei verbum præualuiſſe, quo Eccleſiam aduerſus Inferorum portas muniuit: nec tantum Dei iubentis verbum obtinere potuiſſe, vt Eccleſiæ triticum vſque ad meſſem creſceret: ſed vix ortum, hæreſum zizaniis vbique obrutum fuerit. Denique Dei domum, ac ſedem, quam totius veritatis columnam, ac immobile firmamentum (ſi par eſt Apoſtolo credere) in orbe eſſe oportebat, vlla Dei virtute, ita muniri non potuiſſe, quin errorum imbribus, & hæreſum procellis concuſſa tandem ad rudera, ac ruinas vſque proſterneretur.

1. Tim. c.3.

Equidem, M. Antoni, ſi vel exiguus erga Chriſti gloriam in animo tuo adhuc fumeret igniculus: Tunc illuſtriſſimum Chriſti regnũ, quod à Prophetis tanto verborũ ſplẽdore ampliſſimum, clariſſimũ, nulli vnquã corruptioni, aut mutationi obnoxiũ in orbe futurum celebratur, ita obſcurũ, diforme, proſtratũ, ac pene extinctũ prædicares, vt

vt iam per tot annorum centurias adeo hæreſibus labefactatum ſit, vt nullibi in toto terrarum orbe, illius forma, ac ſplendor appareat? Quónam abiit illa Chriſtianæ Eccleſiæ Maieſtas, per omnes orbis plagas, ac tempora diffundenda? De qua Daniel *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur*, ac prior Iſaias, *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis*, vbi ם, *men*, clauſa in medio dictionis לםרבה *lemarbe* iuxta veterum Hebræorum ſententiam, Chriſtiani regni æternitatem, & incorruptionem inſinuat. Quò euaſit copioſus ille populorum concurſus, vndique ex omnibus terræ partibus ad Eccleſiam vocandus? Iuxta Iſaiæ vaticinium. *Et erit in nouiſſimis præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi.* Si Eccleſia, ita hæreſibus corrupta eſt, vt per mille & ampliùs annos, velut toto orbe exul, omnium ferè conſpectum effugiat, atque inuiſa lateat? Certè cùm hæc Chriſtianæ Eccleſiæ gloria, & amplitudo tota ſimul in ipſo exordio viſa

Dan. 7.

Iſaias. c. 9.

idem c. 2.

non fuerit, ſed ampliori quotidie, ac illuſtriori populorum concurſu accumulanda foret; quod noſtra hac tempeſtate lætabundi perſpeximus, cùm plurimas tam Orientis, quàm Occidentis inſulas, atque ampliſſima regna, & cum iis innumeros ferme ignoti orbis populos ad Romanam Eccleſiam confluxiſſe vidimus. Num te potiùs id æquum erat ſentire, Chriſtianæ Eccleſiæ regnum diuino præſidio fretum, nullo vnquam tempore dilabendum, aut corrumpendum fore, ſed maiora in dies incremēta accipere: donec Chriſtus Opt. Max. Eccleſia, pacifico imperio, per omnes mundi oras dilatata; vniuerſos ad fidei vnitatem collegerit?

Habes igitur, M. Antoni, quibus propugnaculis Chriſti Eccleſiam aduerſus errores tuos pugnantem munierimus, etenim ſuper integrum Scripturarum murum (vt petiiſti) hæc propugnacula ereximus. Turres angulares orthodoxorum Patrum, atque eorum quidem quos omni exceptione maiores exiſtimas contemplati ſumus, ac tibi contemplandos obtulimus. Tu quidem decem tua propugnacula, quibus Eccleſiam Dei, ac Romani Pontificis poteſtatem oppugnas, ſuper hunc Scripturarum murum

rũ ſolidiſſimè te extructurũ iactas: ſed vide ne humanum, ac profanũ murum pro ſacro, ac diuino tibi vſurpes, & cùm in eo abſque ſolidæ veritatis temperamento propugnacula tua conſtruxeris, ac linieris, Propheticam ſententiam audias. *Dic ad eos, qui liniunt parietem abſque temperamento, quòd caſurus ſit.* *Ezech.* 13.
Siquidem dabit nobis Deus (vt ſpero) lapides prægrandes, & de cœlo deſuper irruentes, diuina ſcilicet Scripturarum teſtimonia, ac cœleſtem veritatem: necnon ventum procellæ diſſipantem; conſpirantem: nimirum orthodoxorum Patrum, ac Conciliorum doctrinam, quibus ita tuorum propugnaculorum paries deſtruatur, vt tibi illud iure exprobrari poſſit. Vbi eſt litura, quam liniſti, & paries, quem ædificaſti?

Quòd verò Deum immortalem teſtem, iudicem, vindicem aduocas, te non glorioſæ (vt ais) cupiditate delinitum, non nouitatis ſtudio addictum, non ſectæ cuiuſquam vel antiquæ reuocandæ, vel recentis promouendæ ſpe captum; curuam tibi, prauámque ex ingenio tuo regulam huic erigendæ machinæ confixiſſe. Eſto: Id me tibi Deum obteſtanti iuuet credere: ſed illud tibi addendum erat, te nullo erga Ro-

manum Pontificem odio, vel maleuolentia, vel eidem nocendi ſtudio commotum: hoc enim te ſtimulo concitatum fuiſſe, & publicus-rumor, & omnium ferè, qui te agnouerunt fama loquitur, necnon hæç tua ipſa ſcripta teſtantur, in quibus nihil magis, quàm ipſius poteſtatem oppugnas. Quapropter cùm ais, te in ea euertenda antiquiſſimam, certiſſimam Deo, hominibúſque probatiſſimam diuinæ Scripturæ, ſanctorum Patrum, priſcorum Conciliorum, & ſacrorum Canonum regulam ſequutum fuiſſe, id falsò te iactare apertiſſimis teſtimoniis, & argumentis, Deo fauente, euincemus, cùm Epiſcopalem poteſtatem ſub Romano Pontifice incedentem, non depreſſam, aut oppreſſam: non debilitatam, aut debellatam: non diminutam, aut dirutam: ſed integram, ac ſartamtectam demonſtrabimus.

Verùm illud mihi maximè admirandum videtur, M. Antoni, quòd dum omnibus huius tēpeſtatis ſectariis, Lutherianis, Zuuinglianis, Caluiniſtis, Anabaptiſtis, atque aliis, qui ex iis numeroſiſſima ſobole exorti ſunt, Eccleſiæ fores patefactas eſſe poſtulas, vt omnes ad vnius Eccleſiæ gremiū accurrant, eodem prorſus tempore, eas tabulis ce-

drinis compingendas,ac occludendas velis; ne Eccleſia hoſtium inſidiis, ac inſultibus pateat. *Compactio*, inquis, *poſcit vnitatem, niſi tandem omnes idem ſapiamus, & in eadem, vt monet Apoſtolus, permaneamus regulâ. Oſtium hoc prædatores, vaſtatores, rabidas etiam feras admittet, quæ totam diſſipent ciuitatem: compingamus igitur tabulis.* Nullóſne hodie prædatores, ac vaſtatores? Nulláſne rabidas feras Eccleſiá deuaſtantes eſſe putas? Si nullæ, quid Eccleſiæ vaſtationem times, cui oſtium occludendum cenſes? Si aliquæ, quænam illæ ſint, nobis exere? Priùs enim cunctas Sectariorum Eccleſias nobiliſſimas iudicaueras, ac Sectarios omnes Eccleſiæ filios appellaueras. Præter has, cùm nullæ Eccleſiæ ſint, quoſnam Eccleſiæ hoſtes, ac prædones eſſe cenſes? Præſentio ſanè, aut ſaltem mihi præſentire videor, quæ mens, quæve ſententia tua ſit. Non Sectarios, non Hæreticos, non eos qui quoquo modo nomina Chriſto dedere, Eccleſiæ hoſtes eſſe iudicas: imò Eccleſiæ filios, nobiliſſimas Eccleſias cenſes: Turcas tantummodo infideles, paganos, illóſque, qui Chriſti nomen oppugnát, ſolos prædatores Eccleſiæ agnoſcis: in hos arma vertenda, hos perſequendos, extirpandos, extinguendos tantùm vis. Parce

M. An

M. Antoni, parce Apoſtolicæ fidei: cur id nos docere niteris, quod Apoſtolica doctrina damnat? Docet Paulus Sectarios, atque Hæreticos quoſcunque lupos eſſe, gregis Eccleſiaſtici vaſtatores. *Scio*, inquit, *quod*
Act. 20. *poſt diſceſſionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Docet Petrus effrœni Sectariorum licentia, viam veritatis, cui Eccleſiæ fides innititur, euertendam. *In vobis*, ait, *erunt*
Pet. ep. 2. ca. 2. *magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis & eum, qui emit eos, Deum negant; ſuperinducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur.* Tu verò Hæreticos, ac Sectarios velut Eccleſiæ filios amplectendos; fouendos, ad Eccleſiæ vnitatem; velut legitima membra appellandos, ac compaginandos audes aſſerere? Vide quænam hæc tua inſania ſit. Cur potiùs Sectarios Eccleſiæ hoſtes non agnoſcis, quibus Eccleſiæ fores, niſi reſipiſcant, occludendæ ſint.

Interea tamen dum hæc perſuadere niteris, Epiſcopos hortaris, vt eo ſaltem tempore, quo hæc tua legunt; affectum omnem, guſtumq; terrenorum deponant, nec illos res vlla terrena; non fulgor purpuræ,

non

non pondus auri, non fugacia commoda, non mundi vanitas, non obſtinatio opinionum, non odium, non cupiditas, non timor, non ſpes, non amor turbet, excitet, transuerſos agat: quaſi verò hæc tam diuina ſint, ac ſupra humanum ſenſum ſeſe extollentia, vt Pauli raptu opus ſit, quo iſthæc tam fœtida, tam hæretica, tam ab omni Chriſtiano, ac Catholico ſenſu aliena intelligi queant. Heu venenata hæreſis pocula, quàm deplorabiliùs, & magis quàm Circea miſeros hominum animos dementant: cùm vix hauſta, humanas mentes ab omni veritatis ſenſu deiectas, ad apertam Idololatriam adigant. Quid enim, M. Antoni, his verbis contendis, preterquam Diuinũ honorem tuis hæreſibus cõciliare. Hæc hæreticorum ſemper idololatria fuit, vt teſtatur Hieronym⁹: *Guloſi* (inquit) *venter Deus eſt, Auarus colit Mammona, Hæreticus dogma quod finxit.* *Hiero. in c. 4. Oſe.*

Sed qua arte, quove ſermonis lenocinio, alterius Abſalonis inſtar, Epiſcoporum animos aduerſus Romanum Pontificem communem ipſorum, ac omnium Parentẽ ſolicites, audiamus, *Cognoſcamus*, ais, *Patres Reuerendiſſimi, poteſtatem noſtram, munus noſtrum agnoſcamus. Pudeat nos aut ipſos eſſe cæcos, aut à ductoribus cæcis duci. Ipſi profectò,*

ipſi

ipſi ductores ſumus aliorum, & Paſtores. Hîc planè videre eſt, euerſum naturæ ordinem: cæcus enim videntibus, quà pergendum ſit, viam monſtrare ſibi arrogat. Vtinam, M. Antoni, tu ita poteſtatis tuæ occaſum cognoſceres, quemadmodum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi poteſtatem, ac munus ſuum perſpectum habent. At nulla maior cæcitas eſſe poteſt, quàm ſeipſum non agnoſcere. Tritum eſt oraculum Delphicum Γνῶθι σεαυτὸν. Tu quidem te ſolum videre, cæteros præ te cæcos eſſe putas: Hoc cæcorum illorum vitium eſt, quibus olim Saluator dixit. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: Nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Cæcus es, M. Ant. nec hoc ipsũ agnoſcis quod ſanè miſerabilius cæcitatis genus eſt. Cùm verò te maximè præ cæteris videre exiſtimes, te ſolùm pudeat cæcum eſſe, atque à cæcis ductoribus duci, quales ſunt ſuperbia, ac tumor, quos ductores tuos eſſe declaras, cùm ais, Ipſi profectò, ipſi ductores ſumus aliorum, & Paſtores. Annon hæc ſuperborum illa vox eſt quæ apud Pſal. legitur: *Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt. Quis noſter Dominus eſt?* Qui ſeipſos magnificare, qui poteſtatem ſuam ſuper alios extollere cupiebant

Ioan. 9.

Pſal. ij.

piebant, denique qui neminem ſibi præeſſe patiebantur. Quid hac voce, niſi tumidum ambitione pectus oſtendis? *Ipſi* (inquis) *ipſi ductores ſumus aliorum, & Paſtores.* Non Patriarcham, non Romanum Pontificem tibi præſidere vis, Luciferi vocem, ac ſenſum tibi vſurpas; dixiſti enim in corde tuo, ponam ſedem meam ſuper Aquilonem, & ſimilis ero Pontifici maximo. At quis te ductorem, ac Paſtorem aliorum conſtituit? Quis ſedem deſignauit? Quis poteſtatem contulit? Quis benedictione firmauit? Annon Pontifex Romanus? Num ſine eo aliquando Epiſcopus fuiſſes? Quæ cùm ita ſint, nunquámne audiſti Paulum docentem. *Minor à maiore benedicitur*: Cur igitur maiorem te, & omnibus Epiſcopis, Romanum Pontificem non agnoſcis? At te nullius Paſtoris ouem eſſe arbitraris; ſed aliorum tantùm Paſtorem. Sed quis oues tibi olim ſubiecit? Quis paſtoralia munera commiſit? Annon is, cui tu perpetuò ſubeſſe ſponte aliquando pollicitus es, vt ad Epiſcopatum peruenires? Cujus tu modò iugum ſacro iureiurando violato ſubire renuis, ac indignum tua poteſtate iudicas; teipſum Rom. Pōtificis filium profiteri, cùm Patrē tātum eſſe

Hebr. 7.

eſſe tibi perſuadeas. At te ſanctior, & te humilior Athanaſius Primas Alexandrinus haud veritus eſt ſeipſum cum omnibus Ægyptiorum, Thebaidarum, & Lybiorum Epiſcopis, ſe Pontificis ſummi filium, ac commiſſam illi ouem appellare, his verbis. *Ad hanc Apoſtolicam ſedem, quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum; ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos.*

Athanaſ. epiſt. ad Fæl. 2. Pap.

Verùm id minimè mirandum eſt; nam ſuperbia, quæ, teſte Gregorio, omnium Hæreticorum eſt mater, debitá tibi humilitatis nomina, atque officia omnia ſubripit.

Sed iam quænam fuerint tui occaſus, ac perpetui (vt vereor) exilij principia lubet inquirere. Duo, ni fallor, fuiſſe narras, quæ te in hunc hæreſis conſcribendæ laborem perduxerunt. Primum eſt, Romanæ, & Græcanæ Eccleſiæ diſſidium. *In quo*, ais, *vt per multos annos laborarim, fecit exitiale diſſidium, quod inter noſtram Romanam Eccleſiam, & Græcam, & Orientalem iam inueteratum cernebam*, Græcorum ſchiſma animo concipiebas, quo non nos ab illis, ſed illi à nobis exierunt. Quid tum? Neſciebas occulta Dei diſpenſatione fieri, vt Zizania ſimul cum tritico vſque ad meſſem excreſcant?

Adhuc vocem Pauli ignorabas? *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* 1. Cor. 11.
Quid te hoc Græcorum diſſidium mouere debuit, cùm tot priora Arrianorum, Nouatianorum, Neſtorianorũ, Monothelitarum, Eutichianorum, ac aliorum Hæreticorum diſſidia te non mouerent? Num idcirco tibi ab Eccleſia recedēdũ fuit, quòd eam Schiſmaticorum zizaniis nonnihil perturbatám cerneres? Id iam te Auguſtinus docuerat, vel potiùs Cyprianus apud Auguſtinũ, cùm diceret. *Licèt videantur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas veſtra, vt quoniam zizania in Eccleſia eſſe cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.* Cypr. apud Aug. lib. 2. cõtra Creſconium cap. 34. Annon potiùs id te in Eccleſia Catholica fixum, ac immobilem tenere debuit, quòd eam variis hæreſum, ac ſchiſmatum diſſidiis oppetitam videres, nec tamen vnquam victam ceſſiſſe animaduerteres? Nam cùm omnis hæreſis (teſte Chryſoſtomo) contra Eccleſiæ veritatem exurgat, ea profectò vera Eccleſia tibi agnoſcenda, ac tenenda fuit, quæ cõtra omnes veritatis hoſtes pugnaret, ac vniuerſas hæreſes debellaret. Iam animaduerte, qualem primo loco tibi apoſtaſiæ anſam arripueris. Chryſoſt. hom. 48. in 24. cap. Matth.

Altera cauſa fuit, quam ſtatim his verbis

declaras. *Odium quoque capitale, ac bellum, quod in ipſo Occidente inter nos, & alias nobiliſsimas Chriſti Eccleſias tamdiu ardet implacabile.* Si quę inter lucem, & tenebras: inter fidem, & perfidiam: inter veritatem, & mendacium: inter Deum, & idolum: inter Chriſtum, & Belial pax conciliari poteſt, ea inter Catholicam Eccleſiam, & Hæreticorum ſectas profectò iniri poterit. At cùm Paulus, & cum Paulo ipſa naturæ ratio dictet id omnino fieri non poſſe: *Quæ enim participatio iuſtitia, cum iniquitate: aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli, cum infideli? Quis autem conſenſus Templo Dei cum idolis?* Quid eſt, quod ex ſectarum, & Catholicæ Eccleſiæ bello, quod interiùs mente conceperas ſcandalum peperiſti? Num fortè ignorabas iam à mundi exordio inter ſerpentis, ac mulieris ſemen, perpetuum, ac irreuocabile bellũ indictum eſſe? At quamquam ex hoc bellorum tumultu ſcandali cauſam tibi aſſumpſiſſe ſimules; certè hæc cauſa non fuit. Video, M. Antoni, video quænam tuæ ſubuerſionis cauſa fuerit, eam tu nobis diſertis verbis aperis. Nobiliſſimas illas Chriſti Eccleſias eſſe, quæ cum Catholica pugnarent, non

Paul. 2. Cor. 6.

ſola opinione, aut dubia animi ſententia arbitratus fueras, ſed excogitato conſilio, & firma mentis deliberatione apud te ſtatueras, ac velut certiſſimum tibi maximè fixeras, iam Catholicam Eccleſiam, antequam ad hunc bellorum turbinem animo concipiendum accederes, nullo conſilio, ignota cauſa, ſola animi tui præſumptione fretus hæreſis, ac ſchiſmatis damnaueras. Iam te (quod Hæreticorum legitimum eſt) Eccleſiæ iudicem ſtatueras, ac Romanam Eccleſiam ream iudicaueras. Sed liceat Cypriani verba aduerſum te vſurpare. *Quis hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem tuam præpoſitos, ac Sacerdotes vocare?* Nulla tibi alia cauſa opus fuit: antequam enim de ſectarum bello iudicares, noſter non eras, iam Sectarius eras, iam Apoſtata eras, iam Romanæ Eccleſiæ hoſtis eras. Quidni ægrè ferres Rom. Eccleſiam contra ſectas pugnare? Quidni ex illius victoria ſcandalum pareres, cùm eam iam proſtratam cuperes? Parce, ô Antoni, hoc tuum in Rom. Eccleſiā implacabile odium: hæc nocendi libido, non bellorum Religionis ſtrepitus; diſceſſionis, ac apoſtaſiæ tuæ cauſa fuit.

Cypr. lib. 4. ep. 9.

Atque etiam hæc ipſa, non alia cauſa fuit, quę te vano, ne dicam impio operi accinxit, quod explicas poſterioribus verbis, cùm ais. *Id perpetuos in me, atque acres iamdiu fouet igniculos, tum cognoſcendi ab intima ipſa mali radice, quænam ſit tantæ diſſenſionis, ac fœdiſſimorum ſchiſmatum cauſa, tum etiam aliquid pro viribus conandi, vt ſaltem aperiam, quo pacto poſsint perniciosiſsimæ hæ diuiſiones aboleri, tolli ſchiſmata; ac fides, & religio, Eccleſiæq́; omnes Christi ſanguine redemptæ, fundatæ, ac ſtabilitæ ad primæuam reduci concordiam, perfectamq́; in charitate vnionem.* Sicut flamma ſcintillas; ita odium, quod aduerſus Catholicam Eccleſiam in imo pectoris ſinu fouebas, quotidie acres, ardenteſq́; animo nocendi igniculos miniſtrabat, qui mentem priùs non ad intimam præſentis mali radicem, ac ſchiſmatum cauſam indagandum excitarent: ſed ad peſtiferum noui alicuius mali virus excogitandum, atque in Eccleſiam inuehendum incenderent: deinde linguam, manus, vires ſi quæ eſſent, omni ſtudio ad impium opus propellerent. Portò illud tuum opus eſt, quo execrabilius nullum, quod Catholicam Eccleſiam, ſub impio vnionis prætextu, cum ſectis confundere, perfidiæ copulare, hæreſibus obruere, ac tandē in tenebras

demer

demergere poſſe cogitaſti. Neq; enim inteſtina odia aduerſus ipſam concepta tutiùs, ac acerbiùs te exercere putas, quàm ſi hac Religionum confuſione, ſub vnitatis ſpecie inuecta, eam omnino interimas, ac è medio tollas. Hæc tua conſilia ſunt, M. Antoni, Eccleſiæ ſanguine, ac cæde redundantia, quæ nobis vnionis colore depicta, amplectenda proponis. Non acquieſcimus, non credimus: Cypriano enim Doctore didicimus, plus metuendum eſſe inimicum, cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit, quàm cùm ſe apertè aduerſarium profitetur. Tuæ, & Hæreticorum artes ſunt iſtæ; *habent quippe*, teſte Greg. *Hæretici hoc proprium, vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſum audientis illudant; Si enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent: Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala vt recipiantur abſcondunt.* *Cypr. l. de vnit. Eccl.* *Greg. l. 5. moral.*

Si veram ſchiſmatum cauſam, ac tanti mali, quod apud Sectarios graſſatur; radicem penitùs agnoſcere voluiſſes, docuiſſet Cyprian. ſchiſmata, ac hæreſes haud aliunde oriri, quàm cùm Eccleſiæ Paſtor, ac

Pontifex, qui vnus, ac ſupremus eſt, vice Chriſti Sacerdos, ſuperba præſumptione, ac temeritate contemnitur. Quare ſi huiuſce mali miſeratione commotus pernicioſiſſimas has diuiſiones aboleri, ſchiſmata tolli, fidem, Religionem, ac ſectariorum Eccleſias ad primæuam Eccleſiæ concordiam, ac charitatem reuocare optaſſes, ſtylũ nõ in Romanam Eccleſiam, ſed in Sectarios acuiſſes, ipſos ad Rom. Pontificis obedientiam verbis, ſcriptis accerſiſſes, ac tandem te ipſum, & illos ab impia diſceſſionę reuocaſſes.

Porrò mala, & incommoda, quæ ex hiſce Eccleſiaſticis diſſidiis orta enumeras, cùm, ſuppreſſo nomine, callidè Rom. Eccleſię impingis, apertam illi calumniam inuris, ac latens odij virus euomis. Neque enim Rom. Eccleſia regnum Chriſti ſpirituale impedit, cùm hæreſes fugat, ac Hæreticos perſequitur, qui Chriſti Regnũ oppugnãt. Regna tẽporalia nõ turbat, ſed potiùs turbata ſedat, qui Chriſtianis regibus debitã poteſtatem ſeruat, & populis erga illos obediẽtiam præſcribit: non ciuilem pacem, ac humanam tranquillitatem in diſcrimẽ vocat, qui illam perturbantes exterret: nõ ſimultates nutrit, qui pacem inter Chriſtianos Principes, etiam cum proprij honoris diſpendio fouet:

non

non defectiones ſolicitat, non excitat bella, non ſceptra, ac diademata inuadit, aut regnorum rapinas meditatur, qui etiam propria iura non proſequitur: denique tantum abeſt, quòd ipſius ſuaſu, aut cõſilio homicidia, paricidia, Regicidia perpetrentur, quin perpetrantes grauiſſimis pœnis abſterret.

Sed dicis, M. Antoni, hanc tuam mentem eſſe, atque hunc tui operis, & laboris ſcopum vt ſublato ſchiſmate, ac diſſidiis compoſitis vnum & idem ſentiamus, & dicamus omnes, ne ampliùs inconſutilis Chriſti tunica, ſancta ipſius Eccleſia ſcindatur, & laceretur. Crederem, niſi apertum te vnitatis Eccleſiaſticæ hoſtem, atque Chriſti inconſutilis tunicæ laceratorem declarares. Vox quidem vox Iacob eſt: manus autem, manus ſunt Eſau: aliud in ore geſtas, aliud factis, ac operibus prodis. Fingis quidem te vnitatem Eccleſiæ optare: at tu ipſe es qui ſchiſmate concitato illius vnitatem ſcindis. Doles, vel ſaltem id ſimulas, quòd Chriſti inconſutilis tunica iam in tot fruſta ſit conſciſſa, nec te pudet eam, hac tua diſceſſione, qua te ab Eccleſiæ vnitate ſeparas impiè lacerare. Non credis? Docentem te Cyprianũ audi. *Hanc vnitatem Catholicæ Eccleſiæ qui non tenet, non tenet* *Cyprianus de vnit. Eccle.*

Patris, & Filij fidem, vitam non tenet, & ſalutem: Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini noſtri Ieſu Chriſti non diuiditur omnino, nec ſcinditur. Tum poſt pauca. *Poſſidere non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit, & diuidit Eccleſiam Chriſti.*

Optas vt Spiritus ſanctus Epiſcoporum Rom. Eccleſiæ corda moueat, vt tecum in hac ſectarum cum Catholica Eccleſia vnione indefeſsè laborent. Impiè nedum vanè optas: neque enim Spiritus ſanctus, qui Catholicæ Eccleſiæ præſidet, atque illius incolumitatem tuetur, ad Eccleſiæ exitium, quod ex hac ſectarum ſocietate neceſſariò infertur Epiſcopos mouet, cùm ij non ad interitum, ſed ad Eccleſiæ ædificationem.
Eph. 4. Paulò teſte, vocati ſint. Meliùs optaſſes, ſi id tibi expetiuiſſes, vt ab errore reuocatus, cum iis ſimul in Catholica Eccleſiæ vnitate ſeruanda ſtrenuè laborares.

Inculcas ſæpe in hac præfatione tua, atque id obteſtationibus, execrationibus, atque omni, qua potes via, nobis perſuadere niteris, te maxima animi ſynceritate, puritate & candore pro hac Eccleſiæ, quam tibi fingis vnitate ſcribere, ac laborare. Credo equidem

equidem te purè, ac candidè, quod ſentis ſcribere: ſed an pura, ac candida ſit mens, non audeo aſſerere. Scripta impura, fœtida, hæreſim vſque ad nauſeam redolentia video, lego, horreo. Cur inde impuram, olidam, hæreticam ſcriptoris mentem mihi arguere non licebit? Sed cùm pertimeſcis, ne velut ex vngue leonem, vel potius ex odore cloacam, quid decem tui de Repub. Eccleſiaſtica libri valeant, colligant quicunque primas has tuas paginas, tot erroribus conſpurcatas legerint: propterea enixè petis, vt totum opus perlegant, antèquam de te iudicium ferant. Equidem iuſta peteres, ſi quod in toto opere abſoluis, hîc velut compendio contemplandum non proponeres. Sed cùm adeo horrida, ac peſtifera ſint, quæ hîc nobis ſubolfacienda offers: certè neſcio, quinam tantum patientiæ tibi indulgere velint, vt reliqua tua, quæ his agnata eſſe debent, legenda, ac cognoſcenda ſuſcipiant, ac eovſque operis, atque ſcriptoris iudicium differant.

Neque nos mouet, quòd Dei Filium Spiritu ſuo tibi ſcribenti adeſſe poſtules, quòd eundem preceris vt te doceat, inſtruat, veritatis aſſequendæ cupidum errare non permittat, lapſurum ſuſtineat, fatiſcentem eri-

gat, titubantem corrigat, ſupra petram pedes tuos ſtatuat, vt opus tuum ſupra petram ædifices. Nam quo pacto hæc à Dei Filio te accepturum ſperas, qui pertinaci errore iam vltra decennium tibi altè in animo infixo, ipſius Eccleſiam conuellere paras? Hæc falſa, & callida Hæreticorum præludia agnoſcimus, qui vt incautos fallant, & fucum ſuis erroribus obducant, omnia ſe in Nomine Chriſti agere venditant: quibus tamen reſpondet Chriſtus. *Neſcio vos.* Quapropter rectè Ignatius. *Nominant Chriſtum* (ait) *non vt Chriſtum prædicent, ſed vt Chriſtum ſpernant.*

Ignat. in epiſt. ad Trall.

Bene quidem illud ſe haberet, quòd manſuetum monitorem non reſpuis, qui pacatè, amicéque tibi tuũ errorem ſignificet, quem, vt dicis, paratus es abominari, ſi id verè ex animo diceres: Sed duo ſunt, quę non leuem nobis obſtinati animi ſuſpicionem pariunt. Primum, quod aliquem ex Epiſcoporum numero duntaxat tibi Antagoniſtam petis: reliquos verò, tanquam tibi minimè æquales ex lege pugilatus recuſas. Certè, vt id præterea, quòd Chriſtiani pugilatus legem videris ignorare, quæ neminẽ licèt inferioris ordinis, ac cõditionis, ab alterius correptione arcet, ſicubi eum in errorem dilabi contigerit

tigerit;cùm perſonæ dignitatē potiùs, quàm rectam veritatis diſciplinam expoſtules, eo ſanè latentē animo tumorem potiùs, quàm addiſcendæ veritatis ſtudiū prodis. Alterum eſt,quòd iniquam ab Antagoniſta pugilatus cōditionem petis,vt ſcilicet te,vel rationum nodis, vel Patrum auctoritatibus per incorrupta ſecula probatiſſimis conſtringat. At quamquam ea conditione tecum certamen iniri facilè queat:iniqua tamen eſt conditio, quæ obſtinati animi ſignū non obſcurè pandit,dum in eo errore,qui cęterorū caput eſt, fixum te,& immobilē declaras;quòd Eccleſiæ doctrinā per tot ſecula corruptā ſentias.

Cæterùm neque ægrè ferre debes, quòd Epiſcoporum aliquis, vtpotè maioribus, ac ſerioſioribꝰ curis implicatus, hoc ad te ſcribendi negotium nō ſuſceperit: neque quòd inter Eccleſiaſticos ordines, Minor: inter Theologos, minimus ego, Chriſti charitate cum primis vrgēte, tum etiā ſi fieri poſſit,tui iuuādi ſtudio,ſponte hoc humilis,atq; amici monitoris mihi officiū aſſumpſerim, atque opus tuum examinādum ſuſceperim: paruū parua decēt,& minimū minima:Hercule nō eſt opus, quod hanc tuā multorū capitū hydrā toties proſtratā indefeſſo robore iterum feriat,ac proſternat; gregarius miles ſufficit.

Illud

Illud tamen tibi perſpectum eſſe volo, neque operis, aut laboris mei id eſſe, ædificij tui vel feneſtras perfringere, vel tegulas comminuere, vel rimulas, aut diſſolutos lapides inſpicere: ſed id futurum ſpero, vt fundamenta conuulſa, trabum incardinatarum compagem diſſolutam, dirutos parietes, impiamque operis tui ſtructuram ſolo æquatam videas.

Neque ſanè opus erat, vt hoc opus tuum à Theologorum collegiis: à Patauina vniuerſitate, à veneranda Sorbonæ ſchola, quaſi egregium, ac ſuſpiciendum aliquod opus foret, tanto verborum ambitu diligenter, & exactè examinandum proponeres. Neque enim (vt putas) tantæ apud homines, præſertim aliqua doctriua, ac ingenio præditos, exiſtimationis eſt liber hic tuus, vt exactum alicuius vel mediocriter in Theologicis rebus verſati ſtudium poſtulet.

Nec te profectò iuuabit intempeſtiuus, ac adulatorius ille laudum cumulus, quo ſatis per ſe laudatam Sorbonicam ſcholam proſequeris, cùm ais: *Cuius ego vt acumen, ſoliditatemque ſemper ſum admiratus, ita conſtantiam, libertatemque plurimi facio, vt pote, quæ non temporibus famulari, ac ad oculum ſeruire ſolita eſt, ſed veritatem ipſam omnibus præiudi*

iudiciis, ac perturbationibus humanis anteferre. In quo Phariſaicam artem,ac fucatam illam verborum ſeriem planè delineatam video, qua olim illi Saluatorem aggreſſi ſunt. *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum.* Matt.22. Neque enim adulatoria hac laude aliud ferè ab ipſis extorquere cupis, quàm quod olim Phariſæi à Chriſto: illi quidem id à Chriſto expectabant, vt reſponderet, Cæſari cenſum non deberi: tu verò ab ea nihil aliud expetis, quàm quod tuis votis reſpondeat, ac dicat, Romano Pontifici obedientiam non deberi. At falleris profectò,nam ſicut IESVS cognita nequitia eorum,reſpondit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo:* ita futurum ſpero,ac ſcio, vt Sorbonica ſchola, velut legitima Chriſti imitatrix, & immobilis Chriſtianæ fidei columna, nihilo tuis adulatoriis laudibus commotior, velut Chriſti ore, iiſdem tibi verbis reſpondeat. Quid me tentas Hypocrita? Redde quæ ſunt Pontificis, Pontifici, & quæ ſunt Dei, Deo; quibus tandem ars hæretica hæretico ingenio compoſita deludatur.

Quòd verò ficta, ac vulpina humilitate à Romano Pontifice petis, vt opus non impediat,

pediat, quo minus ad ſedulum doctorum virorum examen perueniat; imò ipſemet curet, ſatagat, vrgeat vt omnium cenſuræ exponatur: nec iuſta, nec admittenda petis; neque enim in primis ea Eccleſiæ vnquam conſuetudo fuit, vt hęretica ſcripta, quæ ſuo ſe nomine, atq; auctore pernicioſa produnt, liberum ad omnes, nec dum qualiſcumque doctrinæ homines acceſsũ haberẽt: ne dum velut peſtifera ad Chriſtiani gregis infectionẽ, ac internecionem tendunt; multorũ, qui nouarum, ac curioſarum rerum magis, quã veritatis ſtudioſi reperiuntur, ſpiritualem necem moliantur. Deinde nec tale, nec tam inſigne eſt opus, vt dixi, quod Pontificem Max. maximis rebus, ac curis occupatum, adeò ſolicitum reddere debeat, vt ipſe opus tuum examinandum curet, nedum ſatagat, aut vrgeat. Satis fuerit, vt ſi quando ad ipsũ huiuſce tui operis fortè fama peruenerit: ipſo hæretico nomine iam ſuppreſſum, cum ſuo Auctore damnet, & deſpiciat. Neque enim omnia Hæreticorum ſcripta, præſertim quæ olim protritam, ac damnatam hęreſim docent, ſingillatim ab Eccleſia examinanda, ac reprobanda ſunt, cùm ſatis ſuperque ex aliarum hæreſum iudicio fuerint damnata. Id potiſſimùm de hoc libro

tuo

tuo dicendum fuit, qui cùm protritam, ac toties olim profligatam Hæreticorum doctrinam contineat, præterea nihil, planè nouo Eccleſiæ examine non indiget, quo damnetur, atque è Catholico orbe exul expellatur.

Neque querulas tuas maledicentiæ voces quicquam facimus, quibus in ROM Pontificem oblatras, *Quòd ſi impedierit, totumque opus de more igni addixerit, aut ex Eccleſiis ſibi ſubditis exterminari curauerit: non poteſt orbis vniuerſus Chriſtianus non aduertere, & agnoſcere ipſum non ratione: ſed vi ſuas tueri velle vſurpationes, Eccleſiamque falſitatibus oppreſſam detinere.* Et cætera conuitia, quæ in eum tumido, & hæretico ore iactas. Nam quænam hæc temeritas eſt, quòd ea quæ olim à ſanctiſſimis Patribus rectè conſtituta ſunt, tu conuellere, ac contumeliis proſequi non dubites? Age ſi iam vi, ac violentia ſuas partes tuetur Romanus Pontifex, cùm hæreticos libros è medio tollit, ac Vulcano addicit. Quid Act. 19. legitur. multos, qui fuerant curioſa ſectati, libros, magiam ſcilicet, ac hæreſim continentes, ex iuſſu Apoſtolorum ignibus exurendos tradidiſſe? Quid Synodus Nycæna, auctore Nicephoro Arrianorum ſcripta non modò fideli *Niceph. l. c. 18.*

fidelibus interdixit,ſed inſuper igni ſacrari
Conſtantinus. iuſſit? Quid magnus Conſtantinus, eos extremo capitis ſupplicio damnauit, qui vetitos à Nycæna Synodo libros (vt idem Nicephorus teſtis eſt) domi apud ſe occultarent? Quid Iuſtinianus iubet ei manum am-
Iuſtinia Authent. Cõſt. 41. putari, qui hæreticum librum ſcripſerit? Quid inter Ethnicos Athenienſes Pithagoræ illius ſophiſtæ librum publico foro exuſſerunt, eo quòd atheiſmum, qui hæreſis conſanguineus eſt, doceret? Sed tua hæc petulantia eſt, & calliditas. Cùm enim Chriſtianæ Eccleſiæ in effugandis Hæreticorum libris antiquum morem non ignores, ac certò ſcias te à Romano Pontifice id impetrare non poſſe, vt liberum tuo operi, putridis hæreſibus olido, aditum in Eccleſia præbeat, ne purgatas Catholicorum nares offendat; id ſaltem conuitiis ac contumeliis ab eo extorquere tentas, ac propterea aperta odia deſpumans, ais, illum vi ſuas tueri velle vſurpationes, Eccleſiamque falſitatibus oppreſſam detinere, prorſúſque armis deſtitutum terga vertere, ac turpi fuga ſibi prouidere; non quidem ne vincatur, ſed ne victus ſuis appareat. At cùm hæc inteſtini odij potiùs, quàm veritatis argumenta ſint, omni legitimo teſtimonio deſtituta,

parci

parcimus furori: neque enim ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam eſt reſpondendum; ſed vniuerſus Chriſtianus orbis breui ſanè perſpiciet, aduertetq́; Roman. Pōtificem non aliquid ſibi iniuſtè, ac per vim vſurpare: non Eccleſiam falſa poteſtate fallere: non terga Hæreticis vertere: non turpi fuga ſe victum oſtendere: non cedere, ſed eo clypeo, ea lorica, iis armis munitum eſſe, vt Hæreticos omnes, téque cum iis proſternere diuina virtute valeat.

Sed adhuc illum ſimulata humilitate, ſimulata erroris tui ignorantia, ſimulato veritatis ſtudio ad certamen prouocas. Quid inſolentius? Petis, vt *Epiſcopos omnes, ſingula Doctorum Theologorum collegia, vniuerſoſq́; in ſacra Theologia Magiſtros, ac Licentiatos abſque vlla exceptione* ad tui libri lectionem admittat. Quid intolerabilius? Tuúmne eſt, M. Antoni, quid faciendum ſit, ſummo Pontif. præſcribere? Quid ſi id ei minimè expedire viſum fuerit? Num iniuſtæ tuæ poſtulationi ſatisfaciendum erit, & ſaniora Pontificis, & Eccleſiæ conſilia deſerenda?

Petis ficto humilitatis argumento, vt ex permiſſo libri tui examine, errorē tuum tibi detegi ſinat. *Si ſtatim cōprimas librum*, ait, *aut*

mihi plurimùm, & iniuſtè noces, aut Sanctiſsime Pater tua culpa in errore perſeuerabo, à quo me, vt proximus meus Prælatus teneris reuocare. At neque tibi, neq; ſibi Pontifex nocet, ſi ſtatim, vt par eſt, librum cōprimat. Nō tibi; nā cùm ſine Pontificis conſilio errorem tuum publico libro pepereris, non Pontifex tibi, ſed tu ipſe tibi, tuo libro nocuiſti. Quinimò Pōtifex cùm librum cōprimit, tuo bono conſulit; prouidet enim ne ſeueriores damnationis pœnas ex plurium animarum ſubuerſione, quæ tui libri vitio facilè contingere poſſet, tibi ipſi accumules. Dicis, Pontifex ſi me ab errore non reuocauerit in errore perſeuerabo, peribo; atque inde mihi plurimùm nocet. Sed cùr te ab errore reuocantem non audis, ſimulac librum comprimit? Libri enim compreſſio, erroris correptio eſt. At tu Pontifice non contentus, cunctos Epiſcopos, cunctas orbis Vniuerſitates, cunctos Theologos, cunctos Licentiatos tui erroris iudices, ac condemnatores poſtulas. Sanè grauis eſt morbus, qui vno, eoq; omnium præſtantiſſimo medico non contentus, omnes orbis medicos ad ſui curationem depoſcit.

Si ante decennium, cùm primùm te pulſare cœpit erroris tentatio, ipſe cogitationes

tuas

tuas Pontifici aperuiſſes, is facilè profuiſſet, ac te ab errore reuocaſſet: ſed cùm tot annis hauſtum errorem mentis tuæ ſtomacho coctum, decoctum, digeſtum iam (ferè dixerim) in tui naturam conuerteris; certè an is tibi aliqua modò ratione prodeſſe valeat: imò an tu ipſe erroris vomitu, aliquod tibi examinis pharmacum prodeſſe patiare, penitus ignoro. Nam quid Vates dicat perſpectum habeo. *Si poteſt Aethiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas.* Sic & tu poteris bene facere, ac bene de fide ſentire, cùm didiceris malè. Noui etiam duram Hæreticorum ceruicem, ac incircumciſum cor, quod nullis neque Scripturis, neque Patrum auctoritatibus, neque rationibus molleſcat, ac propterea verum eſſe illud Apoſtolico ore pronunciatum. *Impoſſibile enim eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerūt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti: guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſeculi venturi; & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* Igitur non Pontifex, ſed tu tibi plurimùm noces.

Hierem. c.13.

Paul. Hebr.6.

Ne igitur vllam in Pontificem culpam reiicias: neque enim ſui muneris eſt oues in lupos cōuerſas curare, aut eorū, qui extra

1. Cor. 5. Eccleſiam ſunt curam gerere. *Quid enim mihi*, ait Apoſtolus, *de iis qui foris ſunt, iudicare*, quamdiu Ouis fuiſti, tui curam geſſit, ac errantem paternis admonitionib. per Apoſtolicum Nuntium (vt ipſe alibi fateris) iuuit, corripuit, ab errore abſterruit: nūc cùm in lupum euaſeris, quid à Paſtore præſidium poſtulas, qui non lupos, ſed oues curat? At fortè dices, Ouis ſum, curationem à Paſtore quæro, quam ſi denegauerit, ſua culpa in errore perſeuerabo, à quo me vt proximus meus Prælatus tenetur reuocare. At vnde hæc tam repentina mutatio, vt ex lupo, tam citò in ouem muteris. Vix modo lupi vlulatus à te editos audiuimus, adhuc illorum ſtridore Chriſtianæ aures ſurdeſcunt: & te jam Ouem habemus? Ergóne iam illius ouis euaſiſti, quem modò inſtar lupi, conuitiorum dentibus diſcerpere, ac ore rabido dilaniare conatus es? Iámne proximū tuum Prælatum modò appellas, quem paulò antè violentum Pontificiæ poteſtatis vſurpatorem, prædatorem, & Eccleſiæ oppreſſorem prædicabas? Túne ab eo nunc ouis præſidium quæris, quem antea ignauum, nullius animi, aut roboris, inermem, turpem, terga vertentem, victū vlulabas? Quis te credet ouē, qui modò lupus eras? Falleris,

M. Antoni, nõ te ouem habemus, etſi ouem te eſſe ſimules, ſed lupum credimus, ſub ouis vellere vlulantem. Nam ſi ouis eſſes, ac reuera morbi curationem quæreres, non te inſulæ detinerent, non te maris ſpatia diſiungerent, non te aulicæ deliciæ impedirent, quin ſtatim ad Paſtorem ſananda accurreres. Quòd igitur in errore perſeueres, quòd pereas, non Pontificis, ſed tua culpa eſt; luget Pontifex, lachrymas fundit; perit enim ouis, perit plaſma Dei, perit anima, Chriſti ſanguine redempta; & nos cum eo mortuum fratrem lugemus, ac pro eo lachrymas fundimus. At tua non Pontificis culpa eſt, quòd pereas, non ipſe tui ſanguinis reus eſt: ſed tu ipſe tibi interitum moliris. Atque vt Vatis verbis vtar. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua* increpabit te. Hier. 2.

Deinde nec ſibi Põtifex nocet (vt garris) cùm ais. *Sin vera loquar, & nihilominus iuſſu tuo vox mea comprimatur, tibi certè obes maximè, qui nempe ne veritatem videas, claudis oculos, eandemq́; ne ad te accedat longè propellis, vt ipſe cæcus in cæcitate pereas, & cum cæcis tuis, quibus eandem veritatem abſcondis in foueam cadas æternæ damnationis.* Quis autem te vera loqui credat, qui ſimul inter ſe repugnantia loqueris, atque ex eodẽ ore ſimul calidũ;

& frigidũ profers? Primò beatiſſimũ Põtificem, ſanctiſſimũ Patrẽ, proximũ tuũ Prælatũ pronunciaueras: nunc verò velut vertiginis ſpiritu correptus, eundẽ cæcũ, & cæcorũ ducẽ appellas. Quid ſanctitati, aut beatitudini cũ cæcitate? Quis in iis quæ fidei ſunt, cæcus ſimul, & ſanctiſſimus eſſe poteſt? Cùm ſanctitas cæcitatẽ expellat, & cæci nomen, ſimul cum ſanctiſſimi, ac beatiſſimi nomine cõſiſtere nequeat. Beatiſſimũ dices? At quis vnquam cum fidei cæcitate beatiſſimus fuit? Proximum tuum Prælatum appellas, à quo poſtulas à cæcitate reuocari. Sed qui te à cæcitate reuocare poteſt, quo pacto à te cæcus nuncupatur? Vel certè ſi eum cæcum exiſtimas, cùm proximus tuus Prælatus ſit; cur te videntem iactas, qui te cæcum cum ipſo prædicare debes? Quis tot cõtradictiones ferat, & cùm iis aut veritatem ſtare, aut te vera loqui poſſe arbitretur? At neque in cæteris te vera loqui liber hic tuus clamitat, cuius vocem non compreſſam, ſed ad nauſeam vſque mendacia oblaterantem, mox orbis vniuerſus percipiet. Quò fit vt tu tibi tantùm noceas, qui ne veritatẽ videres, iam per tot annorũ ſpatia mẽtis oculos clauſiſti, tùm verò ne ad te accederet ad remotiſſimas inſulas, diuiſoſque toto orbe Britannos aufugi-

aufugiſti, vt tandem (quod vereor) cæcus pereas, & cum cæcis tuis iuſtas cæcitatis pœnas exſoluas;

Sed audio, quid de nouo præcone, libro videlicet hoc tuo, nouus Propheta vaticineris. *Plurima,* dicis, *peragraturum eſſe loca, & fortè vel inuitatum, vel inuitum intraturum in atrium Pontificis, à quo ſi interrogetur de ſua doctrina reſponſurum. Ego palàm loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil.*

Primum quidem, an præco hic tuus plurima, vt dicis, ſit peragraturus loca, planè dubium eſt: cùm enim falſa veritatis inſignia ſecum deferat, fortè accidet, vt cum iis deprehenſus ab iis, qui iuſtè proditionis alicuius artes ſuſpicantur, breui aut carnificis alicuius manu obtruncatus, aut faſciculis addictus, proditorum pœna peregrinationi ſuæ finem imponat. Quòd ſi tamdiu illi viuere datum fuerit, vt atrium Pontificis non inuitatus, ſed inuitus ingrediatur, atque de doctrina interrogatus, Chriſti perſonam ſibi vſurpare audeat, ac interrogantibus reſpondere. *Ego palàm loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil.* Quid putas dicturos; cùm non Chriſtum, ſed præconem illum eſſe animaduerterint? Túne nouus, ac

ruſticus præco tibi falsò Chriſti perſonam, ac vocem præripere geſtis? Quid inſidiarũ? quid proditionis nobis moliris? Certè proditionis ſigna aperta ſunt, ea negare non potes: falſam enim Chriſti perſonam, ac vocẽ tibi ſuffuratus es, cùm tantũmodo præco eſſes. Quid? Annon & cõmentitia ipſius veritatis, & falſa doctrinæ ſpecie nos fallere voluiſti? Quid eſt, quod palàm loquutus es mundo? Effare? Certè non veri, ſed Pſeudochriſti, quem præfers, doctrinam obtruſiſti.

Porrò, M. Antoni, quid ementito hoc tuo præconi, mali accidere debeat, iam (vt puto) ſuſpicaris: neque enim alapam accipiet, quaſi inconſultum aliquod verbum Pontifici reſponderit: ſed mortis profectò ſententiam feret, vt pote qui falſam, ac ementitam Chriſti vocem, ac doctrinam, læſæ Majeſtatis reus, temerè ſibi vſurpauerit, ac palàm in mundo loquutus fuerit.

Hinc ſimulatam, necnon ſibi ipſi repugnãtem illam tuam vocem agnoſcimus, qua iterum, atque iterum ſpondes te veritati neceſſariis rationibus manifeſtatæ prõptiſſimè obſequuturum, neque à diuinitus reuelata veritate, conſtantique Eccleſiæ Catholicæ voce, cui te, tuaque omnia ſubiicis, vnquam diſſenſurum. Nam ſi diuinitùs reue

reuelatæ veritati te promptè obtemperaturum ſpõdes; cur eam neceſſariis rationibus tibi manifeſtari petis? Neſcis fidei veritatem neceſſarias rationes, ac argumenta excludere, cùm de genere rerum ſupernaturalium ſit, quæ ſupremam tantùm veritatem ad ſui præſidium poſcit. Quomodo etiam te à conſtanti Catholicæ Eccleſiæ voce nunquam diſſenſurum dicis? Cùm Eccleſiæ Catholicæ vox, quæ fidei magiſtra eſt, aduerſus errores tuos reclamet. Hæc inconſtantis, ac ſimulatæ mentis indicia ſunt, quæ nos tibi vel obteſtãti credere non ſinunt. Idque præſertim confirmat, quòd ſtatim Epiſcopos rogas, vt tuæ veritati, quàm te ſolum manifeſtare credis, libenter aſſenſum præbeant: quaſi verò tuæ potiùs, quàm Eccleſiæ veritati credendum ſit. An ignoras, quod dicit Auguſt. *Veritas tua Domine, nec mea eſt, nec illius, aut illius: ſed omnium, quos ad eius communionem publicè vocas; terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis id, quod tu faciendum omnibus proponis, ſibi propriè vendicat, & ſuum eſſe vult, quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, id eſt, à veritate ad mendacium.* *Aug. lib. 12. conf. c 25.*

Quòd tandem Catholicæ Eccleſiæ reformationem, ac omnium Eccleſiarum

vnionẽ,ſæpius repetito errore inſulsè inculcatum,iterum in extremo præfationis calce refricas, perſeuerantem, conſtantémque animi propoſitum, ac obſtinationem in tuo hoc malo promouendo, deſperatamque propemodum morbi tui curationem indicat, vtpotè qui iam callem obduxerit, & omnem curationis modum à ſe longè expulerit. Nos quidem,quid de hac à te excogitata Eccleſiarum vnione ſentiendum ſit, præter ea,quæ hactenus dicta ſunt,in ſequẽ-
Luc. 3. tis libelli examine aperiemus. Interea verò Deum Opt. Max. rogo, qui de lapidibus potens eſt ſuſcitare filios Abrahæ, vt cor lapideum, quod odium,tumor,error,pertinacia, cacodæmon, & ipſe lapideus tibi prope adamantinum effecit, confringat, emolliat, auferat, reddatq; cor carneum, humanum, facile, quo antiquæ, atque incorruptæ veritatis ſignaculum, iam in te miſerè deletum, iterum excipere, & paræneticum hoc tui operis examen, ac Chriſtianas admonitiones,eo beneuoli animi candore, ac ſynceritate, quo à me conſcripta, ac conſcribenda ſunt, amplecti valeas.

* * *

EXA

EXAMEN PARÆNETICVM LIBELLI, CVIVS INSCRIPTIO EST.

M. Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, ſuæ profectionis Conſilium exponit.

ANTEQVAM libellus hic tuus, M. Antoni, benigni apud nos examinis iudicium ſubeat: libelli titulus, quem Conſilium tuæ profectionis inſcribis, me plurimùm mouet, vt non meis, ſed Dei ipſius verbis te aggrediar, quæ te cum primis ab expleto hoc tuæ profectionis Conſilio reuocare debent. Hæc Dei ſunt verba apud Iſaiam, quæ te ipſum tangunt. *Veh filij* *Iſa.c.30.* *deſertores, dicit Dominus, vt faceretis Conſilium, & non ex me, & orditemini telã, & non per Spiritum meum: vt adderetis peccatũ ſuper peccatum: qui ambulatis, vt deſcendatis in Aegyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis; & habentes fiduciam in vmbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.* Iam quæſo, hæc Dei verba tecũ perpẽde: atq; in iis, quis fueris, quis ſis, omne

tuæ

tuæ mentis Conſilium,omnem Conſilij ſeriem, ac tandem miſerum tui Conſilij exitum, velut penicillo delineata perſpicies.

Quis eras, M. Antoni, ante diſceſſum, ante hoc tuæ profectionis Conſilium, ac turpem hanc à Romana Eccleſia defectionem? Filius eras, Epiſcopus eras, Primas eras Spalatenſis. Vide quàm ſingulari beneuolentia, liberalitate, munificentia te Eccleſia mater exceperat, ex millibus elegerat, è ſordibus vocauerat, vnxerat te oleo, veſtierat te diſcoloribus, calceauerat te hyacintho, cinxerant te byſſo, induerat te ſubtilibus, crucem dederat in pectore tuo, annulum in manibus tuis, denique iis titulis ornauerat, atque honoribus auxerat, vt vix ampliores ſperare poſſes. At quis modò poſt diſceſſum es? Filius es deſertor; non Beniamin, ſed Bennoni; non filius dexteræ, ſed doloris; non filius Chriſti, ſed filius Belial; non Epiſcopus, ſed Pſeudo-Epiſcopus; non Primas, ſed transfuga: denique filius Ephrem, qui aduerſus Eccleſiam intendens, ac mittens arcum conuerſus, ac tranſuerſus es in die belli: Filius alienus, qui Deo, ac Chriſto mentitus, & in errore inueteratus claudicaſti à ſemitis fidei, filius contemptor, qui

ſpreta

ſpreta Eccleſia, ac Pontifice contempto, à quibus honorum, ac dignitatum faſtigia conſequutus fueras, ad Eccleſiam malignantium, Deo, & hominibus odibilem confugiſti, de quo rectè Iſaias: *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* En miſeram ſtatus conditionem, quam tibi ex hoc tuo diſceſſu comparaſti, prioribus Dei verbis obiter explicatam, quam non tam legentibus commiſeratione proſequēdam, quàm tibi alto animo infigendam, ac fletibus irrigandam expono. *Iſai. c. 1.*

Verùm quid de hoc tuo Cōſilio Vates dicat, aduerte. *Veh*, inquit, *filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis Conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per Spiritum meum.* Neſciebas, M. Antoni, iniquum illud omne Conſilium eſſe, quod Deum auctorem, ac conſultorem non habet? Ac impiè operis alicuius telam ordiri, quam Dei Spiritus non texuerit? Inijſti Conſilium, ſed non ex Deo, imò Deo ipſo, ac cōſcientia reclamante: cùm primùm apud te de diſceſſu ſtatuiſti. Nam quo pacto Deus, eius Conſilij auctor eſſet, quo Eccleſia deſeritur, quo fides proſcribitur, quo veritas profligatur, quo ſchiſmata excitantur, quo hæreſes fouentur, quo tandem omnis ſalutis tibi ſpes adimitur?

Conſuluiſti Beelzebud deum muſcarum, qui leuem fugam, ac volatum, muſcæ inſtar tibi ad Hæreticos non tantùm ſuaſit, ſed etiam perſuaſit: conſuluiſti Baal deuoratorem, qui te, relicto Catholicæ Eccleſiæ ouili, velut errantem ouem, ad Anglos vſque deuorandum pelleret: conſuluiſti tandem dæmonem, mendacij patrem, qui in Angelum lucis transfiguratus, falſo tartareæ lucis fulgore, mẽtis tibi oculos obruens, nouam tibi Eccleſiam latentem, ſanis oculis inuiſibilem, nouum Epiſcopatum nulli ſubiectum, nouam Eccleſiæ vnionem animo incomprehenſibilem aperuit, quo tandem te à Chriſti Eccleſia, ab Epiſcopatu, à Chriſtiani gregis ſocietate longè in Angliam ejecit: unde iniquum tuum Conſilium fuiſſe declaras, Impij operis aggreſſus es telam, cùm per quindecim annorum ſpatium, deliberatum tuæ defectionis Conſilium tandem opus peperit, ac te in Angliam vſque transfugam miſit: ſed non per Spiritum Dei, ſed te illo ſpiritu inſtigante, ac ducente, qui hæreſum auctor, perditionis filios ab Eccleſiæ ſinu abſtractos, atque à vera fide, ac religione extorres ad errorum amplexus relegat.

Sed pergit Vates: *vt adderetis peccatum ſuper pec*

per peccatum. Addidiſti peccatum ſuper peccatum, cùm non ſola fuga contentus,qua te à Catholica Eccleſia ſeparaueras, qua Epiſcopatum tuum deſerueras,qua te ſchiſmatis,ac hæreſis reum declaraueras: inſuper & peccatum tuum ſicut Sodoma prædicaſti, errorem fouiſti, libros impia hæreſi reſperſos edidiſti, te vbique Hæreticum proclamaſti, & adhuc frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere: ſed alia proſequamur.

Ambulaſti, vt deſcenderes in Aegyptum. Ambulaſti certè in viam non bonam, ambulaſti vias difficiles, laſſatus es in via iniquitatis,& perditionis: viam autem Domini ignoraſti, cùm profugus in Anglicanam Aegyptum deſcendiſti, atque antiquum illum M. Antonium, cuius tu nomen geris, imitatus; qui Roma, Romanáque ſponſa derelicta, ac fide violata, Aegvptiacam coniugem multis titulis turpem ſibi copulauit. Prima fide violata, Romanam ſponſam, & Eccleſiam deſeruiſti, vt ſectæ Caluinianæ tot nominibus infami teipſum iungeres. Sed heu miſer! quid tibi vis cum via Aegypti, vt bibas aquam turbidam tot errorum, ac hæreſum admixtione feculentam! Sed id tandem tibi accidit, quia.

Os Do

Os Domini non interrogaſti, non Eccleſiam, non Scripturas, non Patres, non Concilia, quamuis id tibi perſuadeas, non Theologos, ac eos, qui te in antiqua fidei veritate integrum ſeruare poterant, ante impium tuæ profectionis Conſilium conſuluiſti: ſed proprium duntaxat ſpiritum, conceptam indignationem, inteſtinum in Ro. Eccleſiam odium, occultam ſuperbiam, ſecretam perfidiam, animi tumorem, ac præſumptionem, velut intimos conſiliarios tibi aſciuiſti. Proh Sapientes Conſiliarij, M. Antoni, dederunt illi Conſilium inſipiens, idcirco.

Speraſti auxilium in fortitudine Pharaonis. Scio, M. Antoni, ſcio te propterea ad Britannos confugiſſe, quòd ſub Sereniſſimi Regis illius protectione tutum, ac ſaluum te futurum ſperares. At num ignoras cor Regis eſſe in manu Dei? Quid ſi illi pro fœlici illo ingenij ſui acumine, ac animi præſtantia, quibus præditus eſt, efficaciter aliquando Dei auxilio permotus, ac veritate ipſa, qua nihil fortius, impellente: abruptis tandem fallacium doctrinarum vinculis, quibus conſtrictus tenetur, liber ad priſtinæ, atque auitæ religionis ſinum rediret? Quónam ſimul ſpes illa tua euolaret? Quò abiret?

abiret? Quò euaneſceret?

Habuiſti quoque fiduciam in vmbra Aegypti. Cùm enim ad Aegyptiacas Anglicanas tenebras tranſmigraueris, in quibus te latentem Eccleſiam, ſepultam veritatem, ac vbique oppreſſam lucem inueniſſe putas, in iis ſummam tuæ ſalutis ſpem, ac fiduciam collocaſti. At quænam iſthæc fiducia eſt? Num te Ægyptiaca vmbra ſaluare poterit, quæ Ægyptum perdidit? An ignoras, teſte Iob. *Iob 40.*
Quòd *Behemoth ſub vmbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus, protegunt vmbræ vmbram eius*: ſiquidem Tartareus ille ſerpẽs non alium ſibi quietis locum inter homines delegit, præterquam frigidas vitiorum, atque errorum vmbras; quas nón ſub Eliæ iunipero, aut Ionæ hædera, non inter viros conſtantia, ac virtute præditos quærit, ſed in ſecreto calami, inter arundineos animos, leues, volubiles, & ad lapſum faciles, in locis humentibus, inter Bacchum, & Venerem ſibi vendicat; vbi vmbræ vmbras protegunt, vbi vitia errores, atque hæreſes fouent; & tamen ſub his vmbris, quaſi in meridie te tutò obdormire exiſtimas. Verùm te Iſaiæ verbis compello. *Iſa. c. 16.*
Ini conſilium, coge conſilium, pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie, reuoca

M. Antoni, antiquũ profectionis tuæ Conſilium, quod iniquum fuit, melius apud te conſilium ini: de reditu cogita, & qui fidei meridiem in caliginoſa errorum tuorum vmbra repoſueras, nunc ſalubriori conſilio, hæreſum tuarum vmbram, quæ velut nox omnem protſuſ tibi veritatis lucem abſcondit, in Catholicæ veritatis meridie colloca: alioquin id tibi profectò continget, quòd minatur Vates.

Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. Neque enim sereniſſimi illius Regis potentia, ſi quando ad Catholicæ fidei defenſionem, cuius præclarum olim titulum geſſit, ſeſe conuerteret, vllum tuis erroribus præſidium: ſed ruinam, ac exitium potiùs eſſet allatura; aut ſi aliter contingat, te ad Dei tribunal accedentem aliquando comitari, aut iuuare poterit (vtpote, quæ nec ſibi opitulari valeat) quominus æternam tibi confuſionem pariat: Neque Ægyptiaca illa vmbra, in qua modò velut in meridie exultas, ac fidis, cùm primùm Sol iuſtitiæ Chriſtus in iudicio apparuerit, & cunctorum errorum tenebras depulerit, confuſum ac trementem à perpetuæ mortis ignominia vendicare poterit.

rit. Ac tunc quidem primùm obſtupeſcere incipies, & vltra omnem modum admirans, atque expaueſcens, fortè illud Sapientiæ vſurpabis. *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Hæc tecum perpende, & ſi minùs hominum ſermonibus acquieſcis, Dei ſaltem te in hoc libelli tui limine alloquentis vocem ne contemne. Sap. 5.

CAPITA CONSILII.

Quibus M. Antonius de Dominis, fugam & Apoſtaſiam à S. R. E. ſibi conſuluit.

IAm verò profectionis, ſeu potiùs defectionis tuæ Conſilium, ac Conſilij capita nobis examinanda ſunt, vt ex illorum candida, ſin minùs accurata diſcuſſione, addiſcas Conſilium tuum, nec Deum auctorem habuiſſe, neque vlla ratione ab eo profectũ fuiſſe. Duodecim huius Conſilij capita ex hoc tuo libello nobis colligenda proponis. Primum eſt, Diuina vocatio, à qua te ad hoc Conſilium permotum fuiſſe dicis. Secundum, ſuſpicio de veritate Romanæ Religionis diu concepta. Tertium, innatum deſiderium videndæ vnionis omnium Eccleſiarum. Quartum, Romanæ Eccleſiæ

abuſus. Quintum, Romanorum Theologorum, & Patrum in rebus grauiſſimis repugnantia. Sextum, vera Sectariorum doctrina. Septimũ, noua articulorum fidei, Romæ confictio. Octauum, necis periculum. Nonum, vox cœleſtis. Decimũ, charitas Chriſti. Vndecimum, fuga errorum & abuſuum. Duodecimum, falſus Papatus. His Conſiliorum capitibus te cum primis permotum fuiſſe narras, vt Romana Eccleſia relicta ad Angelicanam transfugeres; Si quæ præterea ad tui Conſilij confirmationem addis, poſtremo loco diſcutientur.

PRIMVM CAPVT CONSILII.

Diuina Vocatio.

PRimùm quidem, M. Antoni, in exordio tui libelli, diſceſſus tui facilè concipiendam in hominũ animis admirationem abſterſam cupis, ea potiſſimũ ratione, quòd vltra decennium (vt ais) conſilio diſcuſſus, exquiſitaq; deliberatione maturatus fuerit. At quem apoſtaſiæ tuæ admiratio rapiat, niſi qui ſcelera ipſa, quæ in orbe perpetrantur digna admiratione ducat, quæ potiùs vel lachrymis proſequenda, vel ſuppliciis expianda ſunt. Quid enim dignum admiratione

tione geſſiſti? Eras Catholicus, nunc Hæreticus: eras Præſul, mox transfuga, quis id ſtupeat? Annon vox Apoſtolica eſt futuros in Eccleſia Hæreticos. *In vobis*, (inquit Petrus) *Erunt magiſtri mendaces, qui introducent Sectas perditionis.* Certè ſi quid in hoc tuo diſceſſu mirandum eſt, illud maximè, quòd tamdiu diſceſſum tuum diſtuleris: cùm enim prauus errorum tuorum fœtor, licèt vi omni à te compreſſus, iam totius Romanæ Curiæ nares pridem infeciſſet; quidnam aliud omnium animis perſuadebat, prætérquam tanti fœtoris parentem, diu in Eccleſia ſtare non poſſe: ſed mox ad Hæreticorum ſterquilinia, velut ad propriam ſedem migraturum? Cùm verò tranſmigrationem vſque ad decennium protuleris, ſanè non alia nobis admirationis cauſa eſſe potuit. 1. Pet. 2.

Sed quid audio, diſceſſum narras. Vnde? A Spalatenſi Epiſcopatu? Equidem, at non ſatis eſt: ab Eccleſia diſceſſiſti, ab Eccleſia Catholica, ab Eccleſia Apoſtolica, ab Eccleſia ſuper Petrum ex Domini voce fundata, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Iam vbi mens, vbi prudentia, vbi conſilium: túne iſtud velut egregium facinus iactas, quòd te

Eccleſiæ deſertorem prodas, quòd te à Dei ſobole expellas, quòd Chriſtianæ natiuitati valedicas? Neſcis cœleſte Cypriani dictum: non habet Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem? Neſcis inter Chriſti ſobolem computari non poſſe, quem ſponſa Eccleſia Chriſto non pepererit? Neſcis (teſte Hieronymo) profanum eſſe, qui extra Romanam Eccleſiam agnum comederit? Neſcis, auctore Auguſtino, omnia extra Eccleſiam haberi poſſe, ſalutem haberi non poſſe? Sed cùm apoſtaſiæ tuæ admirationem ſublatam optas, cauſam profers, quæ illius turpitudinem auget. Neque enim repentina tentatio, aut vehemens animi impetus te in apoſtaſiam præcipitem dedit: ſed ſcelus animo concepiſti, verſaſti, agitaſti, ac diutina mentis corruptione deliberatum vltra decennium fouiſti. Quid eſt, M. Antoni, quòd tamdiu conceptam animo apoſtaſiam ſtatim non peperiſti? Equidem ſi vera fateri vis, duo fœtus in mentis tuæ vtero, velut in alterius Rebeccæ ventre colluctabantur: fides nimirum, & hæreſis: diu decertatum eſt, vterque præualere, ac prior egredi cupiebat. Quid tandem? præualuit hæreſis, ac altero vi oppreſſo, ſola erupit. Quid mirum, quòd

Cypr. de vnit. Eccl.

Hieron. epiſt. ad Dam.

quòd tamdiu conceptum partum in animo geſtaueris? Viperinus partus erat; parere non poteras,& ſi aliquando parere deberes, vi tibi pariendum fuit, quod parentis viſcera rumperet, & ad necem raperet. Vide quàm immaturo conſilio, licèt vltra decennium protracto, præcipitique deliberatione horrendum ſcelus pepereris: prauus enim animus expers conſilij eſt, neque vllius ſceleris vnquam iuſta, aut matura deliberatio eſſe potuit.

Verumtamen primum iniqui huius tui Conſilij caput ante propoſitum diſcutiamus. *Meam hanc*, inquis, *in loci mutatione Diuinam eſſe vocationem, non humanam: nullo modo aut poſſum, aut debeo ambigere.* Primùm quidem, M. Antoni, quænam hæc tua loci mutatio fuerit, ſtatuendum eſt, vt inde te in ipſo limine, in apertas contradictiones ruere facilè demonſtrem. Non ſemel in hoc libello tuo profiteris, te Epiſcopatum tuum Spalatenſem inuitum deſeruiſſe atque à Romana Eccleſia, velut à Babylone aufugiſſe: igitur extra controuerſiam eſſe debet, hanc loci mutationem, de qua nunc agis, non aliam eſſe, præterquam Epiſcopatus Spalatenſis, & Eccleſiæ Romanæ deſertionem: ab his

(vt puto) non diſſenties. Iam verò ſi Epiſcopatus Spalatenſis , & Romanæ Eccleſiæ deſertionem tam certam , ac indubitatam Dei vocationem eſſe cenſes , vt de ipſa nullo modo tibi ambigendum ſit: planè dubitare non debes , præter Diuinam vocationem fuiſſe, quòd priùs ad Epiſcopatum venires , ac Romanæ Eccleſiæ , vel alterius Babylonis (vt dicis) erroribus atque abuſibus communinicares. Cùm enim Deus homines non ad falſam , ſed ad veram Eccleſiam , & ad veros non falſos Epiſcopatus vocet : id profectò credēdum eſt,ipſum te ad Rom.Eccleſiam, quam non Eccleſiam , ſed Babylonem prædicas , aut ad Rom. Eccleſiæ Epiſcopatum, quem falſum, & æquiuocum exiſtimas;nullo modo aut vocaſſe, aut vocare potuiſſe.

Iam contradictiones oſtendo. Si te Deus ad Rom. Eccleſiæ Epiſcopatum nullo modo aut vocauit, aut vocare potuit : quid tu in hoc libello , Num. 10 Chriſtum te Canem , ac Epiſcopum in ſuo grege poſuiſſe affirmas? Cùm enim non niſi in Romana Eccleſia Epiſcopus fueris: vel Rom. Eccleſiam, noua repugnantia, Chriſti gregem,& Eccleſiam appellas , vel ſi Eccleſia non eſt, Canem & Epiſcopum te Chriſtus in ſuo

grege

grege non poſuit. Cur te vbique Spalatenſem Epiſcopum nominas: cùm (te ipſo auctore) in Romana Eccleſia nulli Epiſcopi ſint, niſi æquiuocè? Igitur vel tu nullus Epiſcopus es, vel æquiuocus; vel tandem ſi Epiſcopus es, Babylonicum potiùs, quàm Eccleſiæ Epiſcopum teipſum nuncupare debes: cùm non ab alia, præterquàm à Rom. Eccleſia, quàm Babylonē appellas, ac proinde à Babyloniis, Epiſcopus conſecratus fueris. Quid tandem? Num. 6. & 8. te id tuis exigentibus meritis, ad regimen Eccleſiæ vocatū: ac prius Epiſcopatum Segnienſem, tum Spalatenſem Archiepiſcopatum ab Eccleſia accepiſſe narras. Quænam hæc Eccleſia eſt, ad cuius regimen promotus es? Quæ etiam te ad Epiſcopatum vocauit, promouit, euexit? Romana planè: Ergo Rom. Epiſcopus es. Quòd ſi Rom. Eccleſia nullos veros Epiſcopos habet, ergo nec tu verus Epiſcopus es, nec te Deus ad Epiſcopatum vocauit. Porrò ſi Deum te ad Eccleſiæ Epiſcopatum vocaſſe credis; profectò tui Epiſcopatus deſertio, Dei vocatio non fuit. En tibi apertas contradictiones.

Quòd verò ad Romanam Eccleſiam attinet. Manifeſtè in teipſum impingis,

cùm illius deſertionem à Diuina vocatione profectam autumas. Te enim meminiſſe decet, quid paſſim in præfatione de Rom. Eccleſia pronunciaueris, quam Num. 11. abſolutè Eccleſiam appellas, licèt (vt garris) à Pontifice oppreſſam: quid de Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis proferas, quos Num. 12. reuerendos Catholicæ Eccleſiæ Co-Epiſcopos appellas: quàm ſępe etiã in hoc libello, Rom. Eccleſiam, inter Chriſti Eccleſias annumeres, Num. 5. cùm vnionem omnium Eccleſiarũ Chriſti expoſcis: Et num. 6. cùm te ad Eccleſiæ regimen promotum, tum ad Eccleſiæ vtilitatem Epiſcopi onus te exercere cœpiſſe narras. Poſtremò apertiſſimè Rom. Eccleſiam, Chriſti Eccleſiam eſſe doces. num. 12. Vbi eam vocem promis, *Epiſcopus ſum in Eccleſia Chriſti*. Cùm enim (vt dixi) in alia, præterquam in Romana Eccleſia Epiſcopus nunquam fueris; ſi ea eſt Eccleſia Chriſti, quis id ſibi perſuadeat, Chriſtum ſuæ Eccleſiæ deſertionem tibi vnquã inſpiraſſe, aut te peruerſa loci mutatione extra ſuam Eccleſiã vocaſſe? Id cùm omnino impoſſibile ſit, ſanè ex teipſo conſtat, vel hanc tuam Romanæ Eccleſiæ deſertionem à Dei vocatione non fuiſſe profectam, vel tecum te apertè pugnare, cùm

hanc loci mutationem Diuinæ vocationi adſcribis.

Cæterùm quibus argumentis id nobis perſuadere quæras, aduerte. Tribus potiſſimùm argumentis te Diuinæ huius(vt exiſtimas) vocationis ſpiritũ probaſſe doces. Primum eſt,quòd per decenniũ fuſis ad Deum precibus,ſpiritũ examinaſti. Secundũ,quòd nullius mortalis vſus es ſuaſione,minùs antẽ interdictorum librorum lectione, quæ te in hanc ſententiã perducerent. Poſtremò,quia nullius melioris fortunæ cupiditas,nulla tẽporalis neceſſitas, nullus euentus ad diſceſſum prouocauit. Primum argumentũ apertè falſum eſt.Secundum mendacij ſuſpicione non vacat. Tertium, adeo leue eſt,vt vix vllam argumenti ſpeciem habeat.

A primo exordior. Dicis te per integrum decennium antequam diſcederes, ad patrem luminum acceſſiſſe, vt ab eo de vera Eccleſia inſtrueretis. Id ſanè apertè falſum eſſe, ex te ipſo colligo; ais enim in epiſtola ad lectorem, te in hoc opere duodecim prope annorum ſpatio laboraſſe; iam opus tuum biennio ante decẽnium inchoaueras, ac proinde quid de vera Eccleſia tibi ſentiendũ eſſet, apud te ante decẽnium ſtatueras. Neque enim credibile eſt te antea manũ operi

operi admonuiſſe,ac ſcribendi negotium ſuſcepiſſe, quàm illud profundè tibi animo inhæreret, quod de Repub. Eccleſ. poſtea tibi ſcribendum foret. Quorſum igitur decennales illæ preces, ſi totum illud decennij tempus ab iniquo conſilio iam ante bienniũ diſcuſſo, ac ſine Deo immaturè deliberato, præoccupatum fuerat? Quónã diutinæ, ac decennales illæ preces euanuerunt? Nemo ſanè à te idcirco confictas eſſe non videt; vt turpiſſimam fugam, ſaltem fucata aliqua ſanctitatis vmbra obtegeres. Cæterùm dem tibi quod cupis: per decennium precibus Deum pulſaueris; quid tum? Deum rogaſſe haud ſatis eſt, niſi bene rogaueris. *Iacob. 4.* *Petitis*, ait Iacobus, *& non accipitis, eo quod malè petatis.* Malè Deum rogaſti, quid mirum, quod rogata non acceperis; Vis euincam, quòd malè rogatoris officium expleueris. Age, quid à Deo petiiſti? Cœleſtem lucem, qua veram Eccleſiam agnoſceres, & à Romana diſcederes? Id procul dubio: necdum ergo veram Eccleſiam agnoueras? Iam, vbi fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, aut ab eo aliquid iuſtè impetrare? *Paul. Hebre. 11.* De vera Eccleſia dubitaſti, en apertum infidelitatis monſtrum, quod cœleſtem omnium gratiarum influxum depaſcit, dubius enim

enim in fide, ſine fide eſt. Ita de eo ſentiendum eſt, qui de vera Eccleſia conſtanter, ac pertinaciter dubitat, ſine Eccleſia eſt: igitur ſine Eccleſia eras, cùm Deum rogares. Romanam enim in qua enutritus, ac educatus fueras, iam in falſæ Eccleſiæ vltrò tibi ſuſpicionem adduxeras: alteri verò Eccleſiæ te necdum iunxeras: extra omnem Eccleſiam degebas: nullius igitur Eccleſiæ membrum eras: at ſanè Chriſti membrum non eſt, qui corpori eius tanquam membrum non copulatur. Vide quot vitia te ad Deum accedentem comitarentur. Quis te ſine Eccleſia, ſine fide, ſine Chriſto; hominem leuem, ſuſpicacem, quærulum, acceptis non contentum, noua quærentem, antiqúa reſpuentem, tot denique vitiis ſtipatum, etiam ſi orationum decennia multiplicaſſes, Dei Spiritu illuſtratum exiſtimet?

Hoc igitur argumento expulſo, ad ſecundum venio, quod falſa ſuſpicione non caret, cùm ais, te cúm nullo mortali homine Conſilium tuæ diſceſſionis contuliſſe. Cur enim Pontifex, ac Romana Curia, iam multò antea tuum Conſilium ſubolfeciſſet, vt tu ipſe in hoc libello num. 10. his verbis explicas. *Contra quem iamdiu odium conceptum Romæ fouebatur, quæ meos in ſcribendo aduerſus*

ipſius

ipſius ſenſa labores, iam ſubolfecerat. Quo pacto ſæpius à Nũcio Apoſtolico de hoc ipſo tuo conſilio admonitus, ac correptus fuiſſes; ſi nullius hominis conſilio vſus eſſes, qui tuæ ſalutis cupidus, mentem ac conſilium tuum ad Pontificem detuliſſet? Præterea te nullius vſum eſſe conſilio, cùm hæreſim mente conciperes, ac præclaram illam, tuo iudicio, omnium Eccleſiarum vnionem, animo altè repeteres, ac foueres; quis facilè credat? Loquax enim eſt error, & garrula hæreſis, ſilentium ignorant; conceptum ſermonem differre quidem, at retinere non poſſunt. Te quoque nullius operam, aut ſuaſionem adhibuiſſe, cùm Anglicam profectionem animo verſares, deliberares; parares, & tandem pareres: non rem cum Regio Angliæ Oratore apud Venetam Rempublicam moranti contuliſſe, non in Angliam ſcripſiſſe, non mutuas literas accepiſſe, quæ diſceſſum tuum probarent, laudarent, extollerent, ac plurimis pollicitationibus te ad hanc profectionem hortarentur; iis planè incredibile videtur, qui iam dudum deliberatam fugam, ac fugæ modum, necnon ipſam rei naturam intimè perſcrutantur.

Cæterùm nec ſuſpicione vacat, quod ſcribis: te ab iis libris, quos Romana diligentia

proſcri

proſcripſit: ſi quis alius. Romanæ curiæ addictus Prælatus eos eſt deteſtatus, vehementer abhorruiſſe: neque ab iis tua hauſiſſe conſilia. Nam ſi Prælatus à Sectariorum libris tantopere abhorrebas, quid illos te maximo ſtudio peruoluiſſe, ac conſuluiſſe oſtendis, num. 9. cùm ais, te apertioribus oculis vidiſſe doctrinam illarum Eccleſiarum, quæ ab Eccleſia Rom. acriter reprehenditur, à priſca doctrina vel nihil, vel parum admodum diſtare? Idne abſque illorum librorum diligenti, atque aſſidua lectione, ac peruolutatione dicere potuiſti? Quamquam & in eo maximè hallucinatus fueris, vti ſuo loco demonſtrabimus. Quòd ſi libros illos non ſemel volutaſti, ruminaſti, conſuluiſti, ac in eis arridentem tibi doctrinam offendiſti: quid te falsò ſimulas ab iis conſilia tua, vel ſaltem conſiliorum tuorum confirmationem non hauſiſſe?

Sed eſto, nullos hortatores, ſuaſores nullos, nullos Hæreticorum libros ad conſilium tuum admiſeris: num propterea te ad hoc Rom. Eccleſiæ deſerendę Conſilium à Deo vocatum cenſebimus? Certè nullum habuiſſe ad ſcelus aliquod impulſorem, aut prouocatorem; & tamen ſcelus commiſiſſe, grauius crimen eſt, cùm ex maiore libidine

fiat.

fiat. Tu verò nullo ſuaſore, inuitatore, nedum impulſore, ac prouocatore Catholicam Eccleſiam deſeruiſti, quod maximum ſcelus eſt. Et tamen te non tam grauioris criminis reum, quàm ad illud, Deo auctore, impulſum abſque vlla dubitatione credis? Video (M. Antoni) quid velis; mauis Deum tui ſceleris auctorem prædicare, quàm te hoc crimine irretitum oſtendere.

Verùm in tui gratiam à ſceleris nomine abſtineo: tantùm Conſiliũ expendo. Quænam hæc tua argumentandi forma eſt? Nullos habuiſti tui Conſilij ſocios, nullos ſuaſores: ergo optimũ, atque à Deo profectum tuum Cõſilium fuit. Si optima, atque à Deo profecta ea Conſilia cenſenda ſunt, quę nullo ſocio, aut ſuaſore; ſed ſolitariè in animo fiunt: quid iam Conciliis in Eccleſia opus eſt, in quibus fidei dogmata diſcutiantur? Quid Reſpublicæ, quid Regna, quid Imperia Conſiliarios adhibent, ac conſiliis reguntur? Quid ipſe Dei Spiritus docet, ibi
Prou. 24. ſalutem eſſe, vbi multa conſilia ſunt. Equidem non tam ſapientiæ, quàm ſtultitiæ argumentum eſt, aliorum conſiliis expulſis, ſolitarium ſui ipſius conſilium amplecti. Id
Prou. 12. præſertim atteſtante Salomone. *Via ſtulti recta in oculis eius; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.*

conſilia. Certè vides, quàm malè, ſolitario tuo conſilio, tuæ cauſæ cōſulueris: cùm hoc ipſo, quòd ſoli tuæ prudentiæ innixus cæterorum conſilia contempſiſti, qui ſaniora, ac vtiliora tibi conſulere potuiſſent, non ſapientis, atque à Deo illuminati hominis, ſed planè ſtulti nomen tibi comparaueris.

Quod verò ais, te animi tui impetus, & cogitationes, cùm ſacris Scripturis, & Patribus orthodòxis contuliſſe, atque eos tantùmmodo tui Conſilij auctores habuiſſe, haud diſſentio profectò te vehementis animi, & iam hæreſibus tumentis commotiones potiùs quàm cogitationes ad Scripturas, & Patres deflexiſſe: atque ex iis malè intellectis, ac perperam explicatis tui Conſilij cōfirmationem hauſiſſe. *Scripturæ enim*, vt docet Hilarius, *non in legendo ſunt, ſed in intelligendo.* Neque id Hæreticis inſuetum eſt, vt omnes Scripturas vſurpent. Nam vt ait Hieronymus. *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas Hæreticorum non haberet fidem: niſi videretur peruerſam doctrinam, etiam Diuinis teſtimoniis roborare.* At Scripturas, aut Patres iniqui huius Conſilij, reuera nunquam tibi auctores extitiſſe, manifeſtè in operis tui examine oſtendemus, cùm primùm illorum loca, ac teſtimonia produxeris.

Hilar. ad Conſtāt.

Hier. in epiſt. ad Tit. 1.

Sed iam tertium, ac poſtremum argumentum expendamus; quod leuiſſimum eſſe diximus. *A quá*(ſcribis) *me illud præterea ſuſpicione liberat, quod coram Deo, qui corda, & renes ſcrutatur, me in mea deliberatione ſciam nunquam mentem ad humana, & temporalia commoda direxiſſe.* Quid leuius? Illud igitur (M. Antoni) ab iniqui conſilij ſuſpicione te liberare putas; quòd in eo propria commoda non quæras? Quid homicidiæ, quid Regicidæ, qui certa ſibi, ac parata poſt ſcelus ſupplicia norunt? Num à ſceleris ſuſpicione liberantur, eo quod ſua commoda non quærant? Nunquámne, audiſti Seruetum Trinitarium idcirco Caluini faſciculis conflagratum fuiſſe, quòd iniquum errorem, ac conceptum hæreſis conſilium propter vitæ commodum deſerere nollet. Quot Hæreticos legiſti, tẽporalibus omnibus commodis neglectis; mortem potiùs pro ſuæ ſectæ defenſione obſtinato animo oppetere voluiſſe, quàm antiquum errorem deſerere. An ij mentem ad humana, & temporalia commoda direxerunt? Quos tamen (vt arbitror) ab iniqui conſilij ſuſpicione liberare non auderes: cùm, teſte Auguſtino, certum ſit Hæreticos, ac Schiſmaticos, etſi

Aug. de fid. ad Petr. c. 39.

pro

pro Chriſti nomine ſanguinem fuderint, nullatenus ſaluandos fore, quandiu in eis hæretica, vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat.

Tu verò, cùm aduersùs Catholicam Eccleſiam conſilium inires, cùm in matris necem conſpirares, cùm inconſutilem Chriſti tunicam proſcinderes, cùm turpem apoſtaſiam animo foueres, cùm ſcelus omnium maximum perpetrares, quò Chriſtum, ac fidem proſcribis; hac ratione te ab omni ſceleris ſuſpicione liberatum putas, quòd nullis temporalibus commodis (ſi tamen id verum eſt) ad hoc conſilium mouearis: quaſi verò ad id non odium, non maleuolentia, non tumor, non præſumptio, non inconſtantia, non leuitas, non perfidia te moueant: Da veniam, M. Antoni, ſi non opum detrimenta, non neceſſitas temporalis, non euentus, non caſus vllus acerbus, vt diſcederes, compulerunt; non ob ea non iniquum tuum conſilium fuit: cùm illud Hæreticorum, ac perditorum hominum ſæpenumero conſilium ſit; quos non amor, non timor, non ſpes, non cupiditas à ſummis ſceleribus abſterrent: id enim ad Conſilij tui impietatem declarandam ſufficere debet, quòd Eccleſiam Ca-

tholicã deſeris, & ab ipſius vnitate teipſum diuellis. Fruſtra temporaliũ commodorum iacturam, ac vitæ periculum iactas: nam tibi ex Cypr. reſpondemus. *Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia vnanimes noluerunt: ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus: Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* Vides igitur quàm vanum, aut commentitium ſit primum huius tui Conſilij caput, quod nobis velut graue, ac optimum venditas.

Cypr. lib. de vnit. Eccl.

Verùm enim verò, cùm ad optimum fidei conſilium ineundum bona oratio ſit, bonum quoque hæreticos libros non legere, bonum deniq; ſpe omni, ac metu expoliari, quò liberiùs bonum ipſum in conſilio propoſitum apprehendi valeat. Fortè id à nobis cupis addiſcere, quid primo huic tui Conſilij capiti defuerit. Dicam paucis. Quod Deum oraueris, commendatione dignum fuit: illud tamen orationi tuæ defuit, quod Deum pro iniqua re, & inquus rogaſti. Certè pro iniqua re Deum rogaſti: nam Deum rogare debuiſſes, vt te perpetuò conſtantem ac immobilẽ in ea Eccleſia

ſeruaret,

ſeruaret,quam fide,tot diuinis vnitatis, ſucceſſionis, ſanctimoniæ, miraculorum argumentis probata, veram eſſe acceperas. An non iniqua res fuit, quòd pro illa deſerenda rogares? Neque tantummodo pro iniqua re,verùm, & iniquus rogaſti: iam enim de vera Eccleſia dubitaueras, cùm Deum rogaſti: at quis niſi iniquus de vera Eccleſia dubitare poteſt? Cùm primùm te huius dubitationis pulſauit tentatio,nō audiēdus aduerſarius,non dubitatio fouenda,non Conſilium tibi ineundum erat; ſed ſtatim vulpeculam iugulare, ſerpentis caput contere re; paruulos ad petram allidere, ſubortam dubitationem comprimere debueras; alioquin nulla certa, ac tuta erit Eccleſia; ſi inter dubias opiniones ſemper animus fluctuet, cùm diabolus veræ Eccleſiæ hoſtis, concitatis tentationum procellis, eam à Chriſtianorum fide euellere quàm maximè cupiat. Sed tu cum aduerſario colludere, exortam dubitationem fouere, vel fortè etiam antequam oriretur mouere, cum ea colloqui, ea delectari, pro ea tandem Conſilium inire voluiſti. Quid mirùm quòd iniquus, ac iam perfidus (cœtera vitia prætereo) ad oratione͂ acceſſeris.

Quod hæreticos libros non conſulueris;

id iuſtum fuit: ſed illud defuit, quòd omnem prorſus doctrinam Catholicæ Eccleſiæ inimicā deteſtari debueras. Quid enim profuerat Hæreticos non legiſſe, cùm Hæreticis doctrinæ affinitate teipſum iunxeris? Quòd tandem temporalia commoda parui-feceris laudarem, ſi pro Chriſto, pro Eccleſia, pro fide, pro Euangelio contempſiſſes: ſed cùm pro perfidia tuenda, pro errore diſſeminando, ac odio in Pontificem exercendo, eorum iacturam te pati affirmes: certè id non tam laude, quàm infamia, ac dedecore dignum duxerim. Neque enim, vt Auguſtinus ait. *Ex paſsione certa eſt iuſtitia, ſed ex iuſtitia paſsio glorioſa eſt.*

Aug. lib. 1. cōt. ep. Parm. c. 7.

SECVNDVM CAPVT CONSILII.

Suſpecta veritas Romanæ Religionis.

Eccl. c. 3.

OPportunè olim dixit Eccleſiaſticus. *Multos ſupplantauit ſuſpicio illorum; & in vanitate detinuit ſenſus eorum.* Inter hos tu vnus es (M. Antoni,) qui vt turpis apoſtaſiæ Conſilium à te non imprudenter initum oſtendas, ſuſpicionem in vexillum erigis, qua te perpetuò fuiſſe anxium declaras, vt Romanæ Religionis placita, neque tuta, neque fidei conſona exiſtimares; ſic enim

enim de his placitis ſcribis. *Quibus acquieſcere nunquam potui, neque à vehementi ſuſpicione, quæ me perpetuo poſtquam in ſacræ Theologiæ ſtudiis adoleui, anxium habuit penitùs me liberare.* Huius ſuſpicionis à puero perpetuos te in animo igniculos ſenſiſſe antea dixeras. At ſanè te tua fefellit, ac ſupplantauit ſuſpicio: & leuem, ac ſuſpicacem animum, hac vitioſa vanitate deluſum, tandem ad impiæ apoſtaſiæ Conſilium impulit.

Duo ſunt, quæ mihi iuſtè in exordio huius 2. capitis tui Conſilij carpenda ſunt. Primum, quod apertè fateris te Romanæ fidei putatis dogmatibus nunquam plenè acquieſcere potuiſſe. Alterum, quod illorum ſuſpicionem perpetuò in animo alere ſtudueris. Quod ad primum ſpectat, ſi quæ modò dicis vera ſunt; certè quæ paulò antè dixiſti, falſa, ac mendacia eſſe oportet: nam priùs dixeras te *Romanis placitis, tibi vera cum intellectus captiuitate impreſsis adeo firmiter adhæſiſſe: vt pro ijs mori, diu fueris paratiſsimus:* quin etiã addis te *piaculũ duxiſſe: circa illa, vel minimã admittere mentis, & cogitationum, necdum aſſertionis ambiguitatem*: modò verò affirmas te nunquam iis plenè acquieſcere potuiſſe: Quo pacto hęc duo ita ſibi inuicem cohęrere valent, quin ſe inuicem iugulent,

ac obtruncent? Nam ſi verè intellectum Romanis placitis captiuaſti, iis ſanè plenè acquieuiſti: quòd ſi iis nunquam plenè acquieuiſti: plenè igitur intellectum non captiuaſti. Rurſus ſi pro Romanis placitis mori diu fuiſti paratiſſimus: diuturno illo tempore ſaltem iis plenè acquieueras: neque enim pro ambigua fide quempiam mori paratiſſimum eſſe dixeris: quòd ſi iis nunquam acquieuiſti, planè falſum eſt te pro iis mori fuiſſe paratiſſimū. Denique ſi nullam vnquā circa illa mentis, aut cogitationis ambiguitatem ſponte tibi obrepere paſſus es: quis te iis plenè ſēper acquieuiſſe non credat? Sed cū iis modò te nunquā acquieuiſſe audiat; cur non te leuem, ac mendacem rectè iudicare debeat, qui, quæ prius dixiſti è veſtigio dānes? Hæc de animi, ac verborum tuorū inconſtantia obiter dicta ſint. Id accipio, quòd nunquàm plenè Romanis placitis acquieueris. Annon hoc proterui ac inſolentis, ne dicam infidelis animi indicium fuit: quòd nulla adhuc ingenij vi præditus, nulla doctrinæ luce perfuſus, nulla ſacrarum literarum, aut Theologicarum rerum diſciplina imbutus, rudis adhuc & agreſtis; Chriſtianæ, & Catholicæ fidei dogmatibus (alia enim necdum didiceras)

ceras) nunquam acquieueris, ac plenam fidem adhibueris; cùm te nullum acumen ingenij, nulla intelligendi vis, nulla ratio, nulla auctoritas ad id impelleret? Quid te igitur vnquam aut Catholicum, aut Chriſtianum fuiſſe iactas? Catholicus certè nunquam fuiſti; cùm Catholicæ fidei regulis (quas Romana placita, ac putata dogmata appellas) nunquam acquieueris. At neque Chriſtiani nomen vnquam meruiſti: cùm is tantummodo Chriſtianus cenſendus ſit, qui veram Chriſti fidem, iuxta Catholicæ Eccleſiæ regulas ex animo, & conſtanter colit. Quo igitur te nomine appellem, qui nec Catholicam, neque Chriſtianam vnquam fidem plenè hauſeris, neſcio. Id tamen nobis apertè declaras, te propenſiſſimo fuiſſe in hæreſes ingenio; igniculi enim illi è Tartarea flamma excitati, quos perpetuò in animo te præſenſiſſe dicis, futuræ tuæ hæreſis præſagia fuere, ac velut atræ quædam notæ, quibus Cacodæmon te ſibi conſignare, atque in Hæreticorum numerum parabat adſcribere. Infidelitatis igniculos perpetuos in animo fouiſti, qui tibi aliquando integrũ fidei incendium parerẽt.

At, amabo, quænam ſunt illa Romanæ fidei putata dogmata, quibus nunquam

plenè acquieſcere potuiſti? Nullum profers: attamen ingenium tuum aſſequor, nam cum poſtea num. 8. aſſeras doctrinam illarum Eccleſiarum, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias, à vera fide non aberrare: ea procul dubio Romanæ Religionis putata dogmata eſſe doces, quæ Sectariorum doctrinis aduerſantur: atque ita fit vt omniũ hæreſum, quas Rom. Eccleſiâ vel olim reprobauit, vel hac tempeſtate damnat, palàm teipſum patronum profitea-re. Necdum igitur Caluinianus, aut Lutheranus es, M. Antoni, verùm etiam Neſtorianus, Eutichianus, Monothelita, Pelagianus, Nouatianus, Manichæus, Donatiſta, Arrianus, & quotquot in Eccleſia Hæretici exorti ſunt, iis tu omnibus dextram præbes, ac cum iis amicitias iungis. Quid quæſo intolerabilius? Quid orbi vniuerſo de te iudicandum relinquis? Qui vt Romanis dogmatibus non acquieſcas, orbem vniuerſum damnas, qui cum Romana Eccleſia antiquas hæreſes iugulauit, ac præſentes ad necem vſque perſequitur.

Verùm ſi Romanæ Religionis putatis (vt ais) dogmatibus, quæ Sectariorum doctrinam ſugillant, nunquam acquieſcere potuiſti; id certè negare non potes, te nunquã

ſanctarum Scripturarum veritati, orthodoxorum Patrum fidei, generalium Conciliorum decretis, quibus Romana dogmata innixa ſunt (vt ſuo loco tibi luce clarius demonſtrabitur) plenè acquieuiſſe: ſed ea tibi putata ſemper dogmata fuiſſe. At ſi Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ doctrinam non accipis, ſi non acquieſcis, ſi aliam non Romanam, non Apoſtolicam, non antiquam; ſed vel antea ignotam, vel nunquam in Eccleſia receptam intrudis; qualem te eſſe dicemus? Certè non alium, quàm quem Apoſtolus prædicat. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ; ſuperbus eſt, nihil ſciens: ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui à veritate præuaricati ſunt.* 1.Tim.6.
Vides certè Apoſtolum te delineantem: aliter enim doces, quàm quod Apoſtolica fides, ac Euangelium docet: cùm Romani Pontificis primatum verbis, ac ſcriptis oppugnas: non acquieſcis ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti; cùm Rom. Eccleſiæ, quæ Catholica eſt in Petro, Domini voce fundata, dogmata putata appellas, quæ

nunquam

nunquam niſi vera, ac legitima eſſe poſſunt, Domino ipſo teſtante, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prænalebunt aduerſus eam.* Non acqueſcis ei, quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ; cùm impiam Hæreticorũ doctrinam, quæ Euangelium proſternit à vera nõ aberrare affirmas. Superbus es, ac nihil ſciens; quia ſupra Eccleſiam, ſupra omnes Eccleſiæ Epiſcopos, ſupra Concilia, ſupra Patres te erigis, ac ſolum te ſapere prædicas. Langues circa quæſtiones, & pugnas verborum; quia circa veritatem languidus, ſolùm inſulſas quaſdam, & importunas quæſtiones, ac verborum pugnas moues: ex quibus aduerſus Pontificem liuores, improbas contentiones, ac contumelias, in Apoſtolicam ſedem blaſphemias, in Romana doctrina ſuſpicionem colligis. Denique ad tui præſidium aduocas conflictantes inter ſe Eccleſias hominum mente corruptorum, & qui à veritate præuaricati ſunt. Tu hoc tibi Apoſtolicum elogium repone: nos alterum proſequamur.

Matt. 16.

Vix Theologicis ſtudiis initiatus, Romanæ religionis ſuſpicionem in animo peperiſti, quæ te perpetuò anxium habuit. Quid mirum? Vnde apes colligunt mella, inde araneus venenum ſugit. Quot in ſacra Ieſui-

tica familia, in qua enutritus fueras, tecum ſocios, ac condiſcipulos habuiſti, dum rebus Theologicis incumberes; qui ex eiſdem ſtudiis clariorē Romanæ fidei lucem, propenſioremq; erga Catholicam religionem animum, quaſi apes mella ſibi compararunt; dum tu ſolus aranei inſtar ſuſpicionis venenum colligeres? Mirum tibi videtur, quòd à vehementi hac ſuſpicione, poſt Theologica ſtudia liberum animum nunquã habueris. Ad nos id minimè miramur, qui eam ſacræ huius doctrinæ eſſe naturam agnoſcimus: vt malè compoſitos animos perturbet, benè diſpoſitos recreet, & vt Auguſt. ait, *Altitudine ſuperbos irrideat; profunditate attentos terreat: virtute magnos paſcat: affabilitate paruos nutriat:* Eſt enim piis, ac iuſtis viris optimorum ciborum menſa: impiis verò, ac malè erga veritatem affectis (teſte Origene) Menſa laqueis, & ſcandalis referta. De qua Plaſmographus. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum.* Theologica ſtudia, eo animo minimè aggreſſus es, vt ex iis melior, ac in fide conſtantior fieres: ſed vt in Romana religione haberes, quod carperes.

Aug. ſup. Gen. cap. 16.

Orig. l. 8. in epiſt. ad Tim.

Pſal. 68.

Quæris, qui fieri potuerit, quod ab hac vehe

vehementi ſuſpicione nunquam liberum animum gerere potueris;in promptu cauſa eſt;liber non eras, ſed ſeruus:iam enim diabolicæ ſuperbiæ, qua proprium iudicium toti Eccleſiæ præferebas:arrogantiæ, qua te ipſum Eccleſiæ iudicem conſtituebas: vitioſæ curioſitati, qua ea quæ tuũ ſenſum ſuperarent,& quæ te minimè decebant, inueſtigare auſus es: occultæ infidelitati, qua falſa Sectariorum doctrina delectari inceperas: leuiſſimæ animi mobilitati, quæ te in nouis ſemper ſententias ferebat: nouitatis ſtudio, qua antiqua ſcita faſtidire, noua amplecti, non tradita cuſtodire, ſed recentia tradere cupiebas: poſtremò ambitioni vniuerſalis Epiſcopatus, inteſtino aduerſus Rom. Pontificem odio, ac plurimis aliis vitiis victas dederas manus, quæ acceptã fidem in perpetuam tibi ſuſpicionem adducerent:familiare ſi quidẽ eſt peccatis, cùm ad ſummam libidinem excreuerint, vt fidei quoq; interitum moliantur. Atque idcirco hæc te ſuſpicio perpetuò anxit: cur enim non angeret,quem Catholicæ fidei, ac Diuinæ veritatis ſolatio orbatum, perpetuis errorum nexibus, atque ambagibus implicaret?

Verùm quænam tibi huius ſuſpicionis cauſę fuerint,indagemus. Tres ad ſummum

profers

profers. Prima eſt,quam his verbis explicas. *Quã mihi ſuſpicionẽ augebat tàm exacta, támque rigoroſa,& domeſtica,& Romana diligentia,qua caueri oculatiſſimè perſpiciebam, ne libri Romanæ doctrinæ contrarÿ,à quoquam noſtrûm teneantur, vel perlegantur.* Iam ab illis igniculis, quos in animi tui ſinu perpetuò alueras, ipſa fidei conſtantia incenſa, ac conſumpta, velut ex cineribus, ſuſpicionis vermem excitauerat; æquum profectò erat, vt quo pacto is in te aleretur atque adoleſceret, tibi quæreres. Dignum ſanè hac tua ſuſpicione ferculum quæſiuiſti. Quis tam præclari quæſtoris ingenium non ſtupeat? Hæreticorum libri exacta, rigoroſáque Romanæ religionis diligentia ab orbe Catholico expelluntur: igitur aduerſus Romanam religionem falſitatis ſuſpicio augenda eſt. Quis noui Theologi, iam tunc ex ipſa arena Theologica erumpentis, acutam argumentandi formam non admiratur? Equidem ſi ita arguere liceat, id quoque tibi concludendum erit: primæuam Eccleſiam tempore Apoſtolorum apud te iuſta ſuſpicione non carere: qui Magorum, ac Hæreticorum libros publico igne comburi iuſſerant: ita enim Act. 19. legitur. *Multi autem ex iis qui fuerant curioſa ſectati, contulerant libros,*
& cem

& combuſſerunt eos coram omnibus. Cur ſub eadem ſuſpicionis nota, non comprehendis ſynodum Nycænam primam auctore Nicephoro, & ſecũdam can. 9. & Imperialia edicta Conſtantini magni apud Nicephorum lib. 8. cap. 25. Iuſtiniani Nouell. conſt. 42. Qui de Seueri Hæretici libris ita imperat. *Ne maneant Seueri ſcripta penes aliquem Chriſtianum: ſed ſint profana, & aliena ab Eccleſia Catholica: igne comburantur à poſsidentibus.* Theodoſij, ac Iuſtiniani, quæ habentur in 5. Synodo generali collat. 5. Vbi de Hæreticorum libris, id ſtatuitur. *Nemo eos codices audeat legere, poſsidere, aut ſcribere, quos oportet omni cum diligentia inquiri, & vbicunque inuentos publicè coram omnibus comburi.* Alterius quoque Theodoſij, qui ita de Neſtorij libris præſcribit. *Decernimus præterea ne quis impios nefarij, ſacrilegíque Neſtorij libros in poſterum teneat, aut legat, aut tranſcribat, quos etiam omni ſtudio, & diligentia vndecunque conquiſitos publicè incendi volumus.* Vides, M. Antoni, Hæreticorum libros non tam abſque vlla ſuſpicionis nota inquiri, ac prohiberi poſſe: verùm etiam id fieri ab Eccleſia oportere, vt fidei incolumitati, ac integritati rectè proſpiciatur. Idem quoque decretum habe in Synodo Chalcedonenſi Act.

Nicephor. li. 8. c. 18.

Theodoſ. ſen. Epi. ad Iſid. præfectũ Præt.

3 &

3.& C.de Manich.l.quicunque.

Sed cur Romanam Eccleſiam ob id falſæ ſuſpicionis inſimulas, quòd Hæreticorũ libros, omni diligentia, à fidelium oculis arceat? Sanè alia ratio eſſe non poteſt, quàm quòd antequam Patrum doctrinam (quidquid aliquando fingas(ſimul cum Romana Eccleſia ſuſpectam ſemper habuiſti? id facilè euinco: nam antiquiſſimi Patres ſemper Hæreticorum libros procul ab orbe Chriſtiano effugandos docuerunt: ex quibus vnum tibi Hieronymum, vel alterum Leonem magnum obiicere lubet. Prior Hieronymus, ita ſcribit. *Doctrina peruerſa ab vno incipiens vix duos, aut tres primùm in exordio reperit auditores; ſed paulatim vt cancer ſerpit in corpore: & iuxta vulgare prouerbium vnius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur vt ſcintilla ſtatim vt apparuerit, extinguenda eſt, & fermentum à maſſæ vicinia ſemouendum, ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecus ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat.* *Hieron. in c.5.ep. ad Gal.* Leo verò mandat, *vt Sacerdotali quàm maximè diligentia prouideatur, vt Hæreticorum libri à Diuina ſynceritate diſcordes in nullo lectionis vſu habeantur.* *Leo mag. ep.48.*

Quod etiam præter antiquorum Patrum

doctrinam, ac perpetuam Eccleſiæ cõſuetudinẽ, ipſa ratio perſuadet: nemo enim ignorat Hæreticorum libros plerumque verborũ fucis, hiſtoriis, adagiis, ac ſermonis leporibus eſſe reſperſos, quæ hominum animos mirificè demulcent, atque illis Auctorum beneuolentiam conciliant: multa etiam vera admiſcere, quæ facilè incautos pertrahũt, vt fidem cæteris erroribus adhibeant: Denique id certum eſt, ac longa experiẽtia comprobatum, ex hæreticorũ librorum vſu, ac lectione, velut ex rerum peſtiferarum contrectatione; non ſolùm rudibus, ac vulgarib. hominibus; ſed pleriſque etiã doctis; ſubuerſionis periculum imminere, atque iis præſertim, qui vel Theologia vix à limine ſalutata, fidei rebus perſcrutãdis ſeſe immiſcẽt: vel vana potiùs, ac perículoſa curioſitate: quàm aut addiſcendi, aut refellendi ſtudio ducti, Hæreticorũ placita perquirũt, ac ſtudioſè ſcrutantur. Quid igitur Hæreticorum libros ſtudioſis, & ſana doctrina pollentib. liberè exponi debere affirmas? Cùm ſtudioſi, & qui ſana doctrina prædití ſunt, ex illorũ vſu, facilè in errorem labi poſſint; nec tamẽ iis, qui ardentiori erga Catholicam fidem tuendam, ac propagandam ſtudio feruntur; ea facultas vnquam denegata fuit: quę liberè om

rè omnibus quantumlibet doctis, ac piis iuſtis de cauſis denegari ſolet.

Tu igitur cùm cõtra Apoſtolicas regulas, contra Cõcilia, cõtra piiſſimorũ Imperatorũ edicta, cõtra antiquorũ, & orthodoxorũ Patrum doctrinã, Hæreticorũ libros liberè in Eccleſia verſari, ac legi debere autumas: non ſolùm antiquæ, & orthodoxæ doctrinæ, cui Rom. Ecccleſia innititur; ſed etiam publicæ veritatis, quã ratio ipſa dictat, apertũ te hoſtem, atque aduerſariũ prodis. Denique dicã paucis, præclarè omnium calculis, neque etiam te ipſo reluctante, Hereticus iudicandus es, qui Hæreticorum doctrinam, ita tibi defendendam ſuſceperis; vt omnibus Eccleſiæ placitis illi aduerſantibus, falſitatis ſuſpicionem adiudices.

Altera ſuſpicionis tibi cauſa fuit, quòd rerum Theologicarum profeſſores in controuerſiis fidei pertractandis ſibi tantùm fidem adhiberi velint, nec permittant Hæreticorum ſcripta ab auditoribus conſuli. Ais enim. *Creſcebat ſuſpicio, quòd Magiſtri, & ipſi profeſſores in tractandis publicè ſiue voce, ſiue ſcripto controuerſiis, omnino velint ſibi fidem adhiberi.* Non tam inſtabilis, ac fluctuantis animi ſigna; quàm manifeſta conſtantis Hæretici, atque Eccleſiæ hoſtis, cui

omnia Catholicorum dicta, facta ſuſpecta ſint, argumenta prodis. Cur creſcebat ſuſpicio, niſi quia peruerſus animus ſemper proficiebat in peius? *Semper ſæua timet, praua conſcientia:* ſuſpicabaris malũ, vbi oculos ad bonum videndum non haberes. Dic (Antoni) an Profeſſores in cõtrouerſiis pertractandis, infideliter Hæreticorum placita referrent, vel fideliter? Si infideliter, cur illos falſi crimine nõ accuſas? Neque enim in tuæ cauſæ tutelam, eam illis culpam ignoſceres: cùm autem accuſare nõ audeas, certum eſt eos candidè aduerſariorum ſentẽtias, & argumenta retuliſſe: ſi autem fideliter, quid illos ſuſpicionis accuſas? quaſi ſibi tantùm fidem adhiberi, & cauſæ victoriam ſibi immoderata auctoritate vſurpare velint, cùm potiùs fidelitatis commendare debuiſſes. Hæc ſanè tua calumnia eſt: quòd ſi æquo iure certant, & Hæreticorum ſenſa fideliter proponunt, ac refellunt, quid auditoribus opus eſt, ipſorum libros euoluere?

At te memorem eſſe oportebat, Antoni, eorum quæ antea in præfatione dixeras; nempe ab Hæreticorum librorum lectione excipiẽdos eſſe literatura tenui imbutos, imò Theologię cãdidatos: quod ſi ita eſt, cur tu modò auditoribus Theologiæ cãdidatis, ac ſe

ac ſemidoctis liberam hæreticorum codicum euoluendorum facultatem minimè factam eſſe conquereris? An non hinc tuum cum cæteris Hæreticis commune ingenium agnoſcimus, qui nec tibi conſtas, nec noſti de quibus affirmes, aut neges.

Venio ad poſtremam tuæ ſuſpicionis cauſam, quã eam eſſe affirmas; quòd Romana Eccleſia in ſupprimendis Hæreticorum libris, ita laboret; vt de eius doctrinæ ſufficientia, ac veritate iure, meritoq́; dubitetur. *In quibus* (ais) *abſcondendis, ſupprimendis, perdendis adeo laboratur, vt hoc ipſo latere aliquid in illis liceat ſuſpicari, cui conuellendo doctrina noſtra non ſufficiat.* Si à Pharmacopolis percunctaſſes, cur ex Magiſtratus edicto venena publicè non vendantur; mox ab iis ea cauſa redderetur, quòd ea tantùm publicè exponi debent, quæ ad hominum vtilitatem, non perniciem vergunt: & hæc quidem iuſta cauſa eſt. At ſi id à M. Antonio quæratur, quid reſponſurum putares? Non aliud ſanè, quàm quòd venena idcirco à Magiſtratu publicè exponi prohibentur, quòd aliquid in venenis lateat, quod Magiſtratus impotentiam, aut legitimam poteſtatem accuſet. Annon hęc præclara ratio eſt: nõ alio, quàm Marco Antonio digna?

Quid Hæreticorum libri niſi venena ſunt, teſte Naziãzeno. Quæris cur venenata Hæreticorum ſcripta ex Eccleſiæ lege publicè legenda non exponãtur, ſi orthodoxos Eccleſiæ Doctores, ſi Concilia, ſi antiquas Eccleſiæ conſuetudines, quæ nuper attulimus, repellis: reſpondeant vel ipſi Pharmacopolæ, eam iuſtam cauſam eſſe, quòd ij tantùm libri publicè in Eccleſia permitti debeant, qui ad publicam Eccleſiæ vtilitatem conferant. Si qui verò fidelibus tanquam venena potius obeſſe, quàm prodeſſe valeant, eos tanquam fidei venena longè ab Eccleſia expelli debere. An tibi poſt communem omnium Patrum, Conciliorũ, publici conſenſus, demùm Eccleſiæ vocem ſuſpicari licebit in Hæreticorum libris aliquid latere, cui conuellendo Romana doctrina nõ ſufficiat? Cùm potius tibi non ſuſpicandum, ſed certò aſſerendum eſſet, in Hæreticorum libris, non vim aliquam, aut inuictũ doctrinæ robur; ſed venenum latere, quod Rom. Eccleſia pia diligẽtia, ac materna cura à filiis arcere ſtudet.

Nazianz. or. 2. de fide.

Porrò ſi hæc tibi iuſta ſuſpicionis cauſa fuit; profectò te nunquam de Eccleſiæ Catholicæ doctrina bene ſenſiſſe euinceris: cùm enim Catholica Eccleſia nullo

nunquam

nunquam tempore, vt iam diximus, Hæreticorum libros pari diligentia, proſequuta fuerit, ſuppreſſerit, combuſſerit: id tibi quoque ſuſpicari licuit; aliquid in Marcioniſtarum, Cordonitarum, Arrianorum, Donatiſtarum, Manichæorum, Pelagianorum, Neſtorianorum, atque aliorum Hæreticorum libris latuiſſe, cui Catholicæ Eccleſiæ doctrina conuellendo non ſufficeret. Id ergo citra controuerſiam apud te iudicaſti, priſcorum Hæreticorum doctrinam, Catholica doctrina longè firmiorem, ac robuſtiorem ſemper fuiſſe. Languit igitur ſemper Eccleſia, ac tandem periit, veræ doctrinæ robore deſtituta; ſola hæreſis in doctrina ſana incolumis, robuſta perpetuò in Eccleſia viguit. Quid homine Chriſtiano indignius? Quid intolerabilius? Equidem, M. Antoni, cum hac tua ſuſpicione omnem Eccleſiæ doctrinam, & cum ea veram Eccleſiam proſcribis: id nobis de illa certò ſtatuendum relinquis, non tam vanam ac leuem, quàm impiam, nefariam, infidelem ac planè diabolicam ſuſpicionem fuiſſe.

TERTIVM CAPVT CONSILII.

Innatum deſiderium videndæ vnionis omnium Eccleſiarum.

ADEST tertium tui Conſilij caput, M Antoni, quod his verbis exponis. *Fouebam in primis mei clericatus annis in me innatum penè deſiderium videndæ vnionis omnium Chriſti Eccleſiarum: ſeparationem Occidentis ab Oriente in rebus fidei: Auſtri ab Aquilone æquo animo ferre nunquam poteram: cupiebam anxiè tot, tantorumque ſchiſmatum cauſam agnoſcere, ac perſpicere num poſſet aliqua excogitari via omnes Chriſti Eccleſias ad veram antiquam vnionem componendi. Dolore interno animi ex tot diſsidiis inter Chriſtianæ Religionis profeſſores, & odiis acerrimis inter nobiliſsimas Eccleſias inflammatis, & tunica Chriſti fœdè ſciſſa, & lacerata concepto, excruciabar.* Magna (vt arbitror) aliquando te facturum pollicebaris; cùm vix clericellus tam grandia, ac glorioſa (vt videbaris) animo altè conciperes, ac euolueres. Et quidem, aiebat olim Plato, magna vitia non niſi à magnis ingeniis progigni: *Neque vllus*, vt teſtis eſt Hieronymus, *poteſt hæreſim ſtatuere, niſi qui ardentis ingenij eſt, & habet dona naturæ,*

Hieron. lib. 2. in Oſe. c. 10.

quæ

quæ à Deo artifice ſunt creata. Nunquam te M. Antoni, niſi Apoſtatam, atque Hæreticum agnoui: ſed tamen ex his, quæ hîc ſcribis, te non exiguis naturæ donis à Deo præditum coniicio, quibus ſi, vt oportebat, rectè vſus fuiſſes, profectò non parum te ad maiores animi virtutes, ad quas à Deo vocabaris, comparandas iuuaſſent. Sed cùm ea ad ſuperbiæ, ac nimiæ præſumptionis vitium verteres: inde illud monſtruoſum videndæ vnionis omnium Eccleſiarum, deſiderium tibi exortum fuit; quod magnanimitatis quidem virtutem præ ſe ferret, reuera tamen magni vitij rem, ac naturam ſibi vendicaret. Quid enim tam vitioſum eſſe poteſt, quàm veram Dei Eccleſiam euertere? Quòd hac tua Eccleſiarum vnione moliri contendis: id facilè oſtendo ex ipſa vnionis Eccleſiarum natura.

Cùm enim vnionum, ex Philoſophorum ſententia, varia genera reperiantur; quædam enim per vniendorum commixtionem fit, vt vini, & aquæ in eodem dolio: tritici, ac zizaniorum, in eodem cumulo: vel per iuxta poſitionem, vt lapidum vnio: vel per aggregationem, vt in hominum ſocietate accidit: vel per informationem, aut

ſubſtantialem, aut accidentalem; qualis eſt animæ & corporis: accidentis, & ſubiecti vnio. Eccleſiæ vnio his modis minimè conflatur, ſed Apoſtolo teſte, ex fidei, ac
Paul. doctrinæ identitate conſtat. *Soliciti* (inquit)
Eph. 4. *ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus: ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Quem locum illuſtrans Auguſtinus ita ſcribit. *Gen-*
Aug. in Pſal. 85. *tes in vno, vna ipſa eſt vnitas: quomodo enim Eccleſia, & Eccleſiæ. Illa Eccleſia, quæ Eccleſiæ: ſic illa gens, quæ gentes: antea gentes, multæ gentes, modò vna gens: quare vna gens? Quia vna fides.* At cui non perſpectum eſt Hæreticorum Eccleſias à veræ Eccleſiæ fide defeciſſe, neque in vllam prorſus fidei vnitatem, cum vera Eccleſia poſſe coaleſcere, niſi propriam perfidiam deſerant, atque hæreticæ eſſe deſinant. *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate*, ait Paulus,
Paul. 2. Corin. 6. *aut quæ ſocietas luci ad tenebras: quæ autem conuentio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?* Et vt Cyprianus ait, *Cohærere,*
Cypr. de vni. Eccl. *& coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas*
cum

cum fonte ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Tu omnium Eccleſiarum (quas tamen improbè Chriſti appellas, cùm omnes Chriſti Eccleſiæ eſſe non poſſint, vna tantùm exiſtente Chriſti Eccleſia) vnionem petis: iam quid aliud poſtulas, præterquam Chriſti Eccleſiam, cum Hæreticorum ſectis commiſceri, lucem cum tenebris confundi, fidem cum perfidia aſſociari, Chriſtum cum Belial amicitias iungere, triticum in zizania degenerare: tandem non Eccleſiarum vnionem, ſed veræ Eccleſiæ euerſionem, ac interitum poſcis: quæ ſimul vera Eccleſia eſſe non poteſt, & adulterina hæreſum ſemina enutrire. Vides quàm veræ Eccleſiæ peſtiferæ, ac exitialis hæc Eccleſiarum vnio ſit, quámque illa crudelius, quàm par eſt, in Chriſti Eccleſiam deſæuiat.

Verùm hanc vnionem non tam iniquam, ac ſacrilegam, quàm ridendam, ac exſibilandam eſſe exiſtimauerim: quippe quæ non modò vanam: ſed etiam prorſus impoſſibilem ſuo ſe nomine prodat. Quis enim vnquam inter Catholicam Eccleſiam, & tot ſectas, quæ inter ſe diſſitæ per orbem vagantur, pacem, aut concordiam vllam conciliari poſſe ſibi perſuadeat? Præſertim cùm inter eas tanta ſit fidei, ac doctrinarum diſſenſio,

ſenſio, vt nulla pace, imò nullis belli induciis (integra fidei veritate) ſedari vnquam poſſit. Veritas enim ex integra cauſa conſtat, verá doctrina non niſi ea veris partibus conſtare debet; Quomodo igitur tot Hæreticorum ſectæ, quæ à veritate aberrant, cum integra Eccleſię veritate conſpirare poſſunt? Id planè impoſſibile eſt, niſi illæ proprium mendacium deſerant, ac perfidia depoſita ad veram Eccleſiæ doctrinam accurrant. At verò ſi id fit, iam nulla eſt Eccleſiarũ Chriſti vnio, ſed ſectarum extinctio, ac veræ tantùm Eccleſiæ propagatio. Quòd ſi id obtinere contendis, vt vera Eccleſia aliquid propriæ veritatis deſerat: ſectæ verò nonnihil mendacij deponant, in his præſertim fidei controuerſiis, quibus maximè inter ſe digladiantur: atque hoc pacto res inter ſe componant, vt indicare videris poſterioribus verbis, cùm ais. *Cupiebam anxiè, tot tantorumque ſchiſmatum cauſam agnoſcere, ac perſpicere num poſſet aliqua excogitari via, omnes Chriſti Eccleſias ad veram antiquam vnionem componendi.* Planè te nimis apertè iniuſtum, ac improbum conciliatorem declaras, qui vt hæreſes cum Eccleſia concilies, Eccleſiam ipſam crudeliter iugulas: quæ ſicut integra fidei veritate ſubſiſtit, ita ea ſublata

ruit,

ruit, ac proſternitur. Neque enim abſque atro facinore veritas vnquam deſeri poteſt: cùm, teſte Chryſoſtomo. *Veritatis non ſolùm ille proditor ſit, qui mendacium dicit: ſed etiam, qui veritatem non liberè pronunciat.* Quis igitur tam nouam, tam mirabilem, tam à ſeculis inauditam Eccleſiarum vnionem, quæ nec mente quidem excogitari poteſt, aperto ore non rideat? Nec mirum; nam cùm eam adhuc puerulus, ac Clericellus animo pepereris, inde nobis perſpicuum eſt, eam non tantùm puerilem partum eſſe, qui inter puerilia, & aſpernanda reijci debeat; verùm & precoces, atque acerbos infirmioris ætatis fructus eſſe, quos dum diu, atque auidè in ore verſas, iis tandem tibi robuſtioris ætatis dentes obſtupeſcerent.

Chryſoſt. hom. 25. in Matt.

At eſto, puerile hoc deſiderium videndæ vnionis omniũ Eccleſiarum non innatum, ſed ſimul cum ſuperbiæ ſemine ab inimico dæmone tibi in animo ſeminatum foueris. Quid tamen affirmas, te ſeparationem Occidentis ab Oriente: Auſtri ab Aquilone nunquam æquo animo ferre potuiſſe? Græcorúmne ſchiſma, ac ſeparationem à Rom. Eccleſia: ſeparationẽ Occidentis ab Oriente. Et Lutheranam, ac Caluinianam diſceſſionem, ſeparationem Auſtri ab Aquilone

appellas? Quaſi Oriente, ac Septentrione in antiqua fide permanentibus: Latina & Romana Eccleſia, quam Occidentis, ac Auſtri nomine appellas, ab illis ſe diſiunxerit? Cur non potiùs ſeparationem Orientis ab Occidente: Aquilonis ab Auſtro nuncupandam cenſes? Cùm non Occidens ab Oriente: aut Auſter ab Aquilone; non nos à Græcis, Lutheranis, & Caluiniſtis, ſed illi à nobis receſſerint.

Et quidem quòd ad Græcos attinet, manifeſtum eſt, eos aperta defectione à Latina Eccleſia diſceſſiſſe: cùm ab ea in pleriſque generalibus Conciliis, & tãdem in Florentino, ſub Eugenio IV. ſeipſos publicè reuocauerint, in quam tamen proprio vitio rurſus lapſi ſunt. De Lutheranis, Caluiniſtis, ac cæteris huius tempeſtatis Hæreticis, me etiam tacente, res ipſa loquitur: eos non pridem à Rom. Eccleſia, in qua enutriti, & educati fuerant receſſiſſe. Lutherum enim, & Caluinum priùs aliquando Catholicos, deinde Catholicæ Eccleſiæ deſertores nouimus: Quò fit vt de iis illud Apoſtolicũ dici poſſit. *Ex nobis prodierunt, ſed ex nobis non erunt. Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcũ.*

Sed quid eſt, quòd tam anxiè tantorum ſchiſmatum cauſas agnoſcere cuperes? Nun

Nunquámne apud Concilia, apud ſcriptores Eccleſiaſticos, apud Theologos, Græcorum, ac Hæreticorum errores diſcuſſos agnoueras? Nunquámne à Cypriano didiceras, *non aliunde hæreſes, ac ſchiſmata oriri; niſi quia Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur.* Sed cùm hæc vera, ac legitima ſchiſmatum cauſa tibi non placeret; maximéque in alia inueſtiganda, quam necdum inueneris, aut protuleris, laborares: hinc illa animi anxietas, illa vana ſolicitudo. At quænam iſthæc temeritas eſt, quòd Clericellus, necdum in hominum lucem editus, vniuerſale Eccleſiæ regimen ſibi vſurpare præſumeret, & quòd deinde tui caſus, & apoſtaſiæ cauſa fuit, iã vniuerſalis Epiſcopi ius tibi arrogare velles; quaſi iam totius Eccleſiæ curam gerens, conciliandorum ſchiſmatũ tibi onus incumberet. Heu quid ſuperbia non molitur, vbi ſemel pedem fixerit! Sed hæc vlterius non perſequar: dolor enim ille tuus, quo propter diſſidia inter Catholicam Eccleſiam, ac Sectarios (quos falsò Chriſtianæ religionis Profeſſores, & nobiliſſimas Eccleſias appellas) orta excruciabaris; non charitatis, ſed ſuper

Cyprianus.

ſuperbiæ, atque ambitionis dolor fuit, qui te alterius Abſalonis inſtar exagitaret, atque eaſdem propemodum voces ex imo
2. Reg. pectore exhalare cogeret. *Quis me constituat*
ca. 15. *iudicem ſuper terram, & veniant ad me omnes, & iuſtè iudicem?* Hæc intimi tui doloris cauſa fuit, quòd ad ſupremum Eccleſiæ ſubſellium conſcendere non ſpetares. Sed iam 4. Conſilij caput diſcutiamus.

QVARTVM CAPVT CONSILII.

Romanæ Religionis abuſus.

INter alia quæ te ad turpem hanc à Rom. Eccleſia diſceſſionẽ compulerunt; ipſius Rom. Eccleſiæ abuſus, velut 4. tui Conſilij caput enumeras. Nam poſteaquam te ad Eccleſiæ regimen vocatum, & Epiſcopum Segnienſem factum dixiſti. Neque enim curioſiùs inquiro, num ex ſacra illa, ac veneranda Patrum Ieſu ſocietate (vt narras) ad Epiſcopatum eductus fueris: ân priùs ab ea fueris expulſus, de quo iure, meritóque dubitatur: neque etiam ea moror, quæ in tui laudem tumidè ſatis cõmemoras, quando ſocietati te vtilem, ac inter præclaros illius familiæ viros, te doctrinæ meritis, ac rerum

rerum agendarum prudẽtia,ac ſolertia præſtantem prædicas:quæ ſi vera eſſent, te potiùs ſilere decebat: cùm verò ea ventosè iactes,planè non leuem tuis dictis falſi ſuſpicionem offundunt. At quicquid de harum rerum veritate nobis iudicãdum relinquas iam commiſſo populo concionaturus ſermonarios, quadrageſimaliúmque libros te de more euoluendos arripuiſſe: eos verò breui ſtomachum, ac nauſeam tibi commouiſſe affirmas. Huius rei cauſam his verbis aſſignas. *Vidi enim & facilè turpem Scripturarum abuſum,dum ad ſenſus vanos, inutiles, ac impertinentes, imò etiam pernicioſos detorquentur.* Vide(ais.) Num & M. Antonius, inter Videntes:eſto, hoc primum eſt tuæ viſionis caput. At malè videntem te, Prophetæ verbis alloqui lubet. *Nunquid non viſionem caſſam vidiſti, & diuinationem mendacem loquutus es?* Quid aliud (M. Antoni) præterquam capitis tui viſiones, pro diuinis nobis obtrudis? Age quinam ſit hic Scripturarum abuſus: qui vani inutiles,impertinentes,ac pernicioſi hi ſenſus ſint;quos Romana Eccleſia ex Scripturis extorquet, exere? Vel vnum ſaltem, iam te ad probationem prouoco.Obmuteſcis, Antoni, certè ſi apud æquos iudices cauſa agitur, ca-

Ezech. 13.

lumniator cenſendus es, falſi crimine accuſandus, ac mulctandus, cùm non tantùm in probatione deficias, verùm & nihil habeas, quo probationem incipias. Nos verò facilè hanc calumniam excutimus; nam Romana Eccleſia ex Patribus potiſſimùm Scripturarum interpretationem petit: vt perſpicuum eſt ex regula Concilij Conſtantinop. tertij, quod eſt generale ſextum, explicata Can. 19. in quo ita decretum habetur. *Si ad Scripturas pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter Prædicatores interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt.* Quod etiam confirmat Concilium Meldenſe Can. 34. Quamobrem non vanos, non inutiles, non impertinentes, non denique pernicioſos ſenſus in Scripturis confingit; ſed veros, ſanos, Catholicos, ac Spiritui ſancto, qui Scripturarum auctor eſt, conſentaneos docet: quò fit vt nullus in Romana Eccleſia Scripturarum abuſus eſſe poſſit.

Cōc. Cōſtātinop. 3. Can. 19.

Concil. Meldenſe Can. 34.

Venio ad ſecundum tuæ viſionis caput. *Vidi* (inquis) *exempla aut falſa, & conficta, aut ſaltem apocrypha, & ridicula proponi.* Vnde probas? Quo auctore? Quo teſte? nullo, niſi tuo dicto, & capitis tui viſione. Non credimus, odij calumnia eſt: ſiquidem manifeſtum

ſtum eſt Romana diligentia caueri, ne alia. rerum exempla publico ſcripto prodantur, aut voce in publicis Eccleſiarum ſuggeſtis à concionatoribus recitentur; niſi quæ ab inquiſitoribus vera, & ad pietatem inflammantia legitimè fuerint comprobata, vt patet ex inquiſitorum, diligenti inueſtigatione, & approbatione exemplorum libris affixa. Iam ſecundò à tua cauſa excidiſti.

Tertium viſionis tuæ caput exploremus, num cæteris grauius, aut leuius ſit, *vidi*, ais, *miſerabiliter populum deludi, inuentaq́; auaritiæ, & ambitionis pro ſanctis fidei dogmatibus; non ſine ſuperſtitionibus obtrudi, & inculcari*; *exhorruiq́;*. Quis tecũ M. Antoni, tam atrox facinus non exhorreat, ſi illud legitimis teſtibus probes? At teſtes non producis; facinoris fidẽ nulla aut ratione, aut rei veritate aſtruis, mendacem, ac iniurioſum impoſtorem te prodis. Quis blaſphemas, ac ſacrilegas voces tuas non exhorreat? Tot ſunt in Eccleſia Catholica Epiſcopi, nedum cæci, ſed videnres: tot Theologi, qui te doctrina, & pietate præſtantiores ſunt: tot denique oculi clari & perſpicaces, qui plus vident, quàm oculus tuus. Quid eſt, quòd hoc minimè perſpexerint? Dicam; quia necdum de

veritate malè ſentire ſciunt. Non aliunde, quàm ex veritatis tenebris hæc tua viſio erumpit. Mendacij pater, qui ſe in Angelum lucis transfigurat, non rei veritas hoc tibi lumen miniſtrat.

Etenim ſi aliquis veritati locus eſt; quis vnquam, niſi perfrictæ frontis Hæreticus, Chriſtianum populum à Romana Eccleſia deludi exiſtimauit? Cùm ea potiùs deluſores, ac ſeductores Hæreticos à Chriſtiano, ac Catholico populo arceat. Neque enim vlla vnquam hæreſis ſub fidei prætextu Dei populum deludere conata eſt, quæ Romanæ Eccleſiæ vigilantia, ac ſolicitudine à Chriſtiano orbe expulſa, ac tandem extincta non fuerit. Quis inuenta auaritiæ, & ambitionis pro ſanctis fidei dogmatibus in Romana religione venditare, niſi Lutheranus, aut Caluinianus vnquam ſenſit? Hæc enim ſunt domeſtica Lutheranorum, & Caluinianorum conuicia, quæ nulla ratione, aut teſtimonio probata, pro ſolidiſſimis argumentis paſſim in Romanam Eccleſiam euomunt: Quorum vt te legitimum hæredem probes, non ſolùm impietatis merces; verùm & ipſa verborum improperia mutuaris. Sed iam pridem hoc Hæreticorum ingenium eſſe Hieronymo Doctore

ſtore didicimus, *vt gigantum inſtar, tunc maximè glorientur, quando Eccleſiæ contumeliam fecerint*: neque aliud magis affectent, quàm falſa crimina Eccleſiaſticis viris, à quibus receſſerunt imponere; vt præclarè teſtatur Auguſtin. his verbis. *Hæretici non habendo, quid in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſsima iactant: vt cùm ipſam diuinæ Scripturæ veritatem qua vbique diffuſa Christi Eccleſia commendatur, criminari, & obſcurare non poſſunt: homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, poſsint.* Hoc Hæreticorum iure vteris, Antoni, Romanæ Eccleſiæ atrociſſima crimina impingis, ex quibus nec vnum quidem probare valeas; imò nec producere audeas, ne falſi crimine conuictus, publicus impoſtor habearis. Scis enim (tua teſte conſcientia) Romanam Eccleſiam tam longè ab auaritiæ, ac ambitionis ſtudio abeſſe (quorumdam autem vitia, ſi quæ ſunt; non moror, cùm ea ſingularia tantùm ſint, quæ ad Eccleſiam non ſpectant) vt grauiſſimis pœnis Simoniacos, & eos, qui Eccleſiaſticas dignitates, ac officia venalia habent, vſque ad ipſarum dignatum, & officiorum iacturam afficiat.

Hieron. l. 6. in Iſa. c. 13.

Aug. ad Hippon. ep. 137.

Amabo Antoni, cùm ad Epiſcopatum Segnienſem, aut Spalatenſem Metropolin euectus es: nunquid aliquam pecuniarum vim, in ærarium Eccleſiæ pro adepto Epiſcopatu contuliſti? Quòd ſi clam aliquid vitiosè erogaſſes, annon ipſo Canonico iure ab Epiſcopatu deiectus fuiſſes? Hæc lippis ac tonſoribus nota ſunt. Quid tu igitur effutire audes auaritiæ, & ambitionis inuenta in Romana Eccleſia pro ſacris fidei dogmatibus obtrudi? At hæc ſunt tua, & cæterorũ Hæreticorum ſtudia: vt Romanæ Eccleſiæ veritatem, quam nullo firmo argumẽto poteſtis conuellere, falſis criminibus oppetatis: quibus id reſpõdere ſufficiat, quod olim Conſtantinus Arrianis, vt narrat Euſeb. *O veritatis inimici, vitæ hoſtes, & perditionis conſiliarij: omnia ſunt apud vos veritati contraria, ac turpibus malitiæ ſtudiis, & abſurdis admodum fabulis conſona: per quæ vos mendacia ſtruitis, & inſontes premitis, lucem fidelibus negatis, omnia polluitis, innoxias, ac puras conſcientias lethiferis plagis vulneratis, ac ipſum prope diem (vt ita dicam) humanis oculis abripitis.* Ad quintum Conſilij caput accedo.

Euſeb. Cæſ. in vita Cõſtant. lib. 3.

QVIN

QVINTVM CAPVT CONSILII.

Diſcrepantia Patrum, & Theologorum in doctrina fidei.

POſtquam omiſſis Sermonariorum riuulis te ad Patrum fontes acceſſiſſe narraſti: nouo quodam lumine, velut è cœlo delapſo te exultantem audio. *Hinc nouæ* (inquis) *mihi cuiuſdam lucis radij identidem nolenti adhuc, & repugnanti illuxerunt.* Credo, M. Antoni, non repugno: iam illud mihi perſuaſiſti, nouæ cuiuſdam lucis radios tibi eſſe obortos. Nouæ equidem, quæ antiquam fidei lucem expelleret, ac nouitatis ſtudium in animo pareret: cuiuſdam verò, quæ nec tibi Catholico antea cognita foret, nec ſtatim vnde profecta ſit, originem ſuam proderet. At ſi illius originem ignoras, docet Cyprianus, *Rapit diabolus* (inquit) *de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur; alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum Euangelio Chriſti; & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario, atque fallente* *Cypr. de vnit. Eccle.*

qui ſecundùm Apoſtoli vocem, transfigurat ſe velut Angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.

En vnde tibi noui illi lucis radij effulſerint; ſi illorum originem ſpectas, ij ſanè non aliunde, quàm è tartareis flammis à blandiente, ac fallente aduerſario in lucis Angelum transfigurato, tibi illuxerunt: poſtquam is te à Catholicæ Eccleſiæ fide, ac gremio rapuit. Hoc te falſo lumine obtenebratum adeo in propriam tui exiſtimationem euexit, vt te ſolum videntem, ac illuminatum arbitreris: & cùm tibi ſolus ſapere videaris; cæteros præ te velut obſcura nocte merſos exiſtimas. Hinc tartareis illis tenebris, quas cœleſte lumen putas in dies magis obfuſcatus, dum falſo hoc lumine irradiatus Catholicam Eccleſiam aſpicis; errorum tenebris immerſam credis: dum Scripturas colluſtras, nouas, & prioribus ſeculis inauditas interpretationes conficis: dum Patres orthodoxos, ac Theologos verſas, mox diſcrepantes doctrinas, ac dogmatum bella in his animaduertis:

nec

nec miſer fallentem te dæmonem agnoſcis. Sed hoc tui Conſilij caput diligentiùs explorandum eſt, de quo ita ſcribis. *Obſeruabam hinc in Theoricis dicta Patrum valde communi doctrinæ, qua imbutus in ſcholis fueram, in multis aduerſantia, & ea vel prætermiſſa à meis magiſtris, vel non fideliter adducta, vel non ſufficienter, aut etiam perperam explicata animaduertebam. Inde Eccleſiaſticæ diſciplinæ, regiminiſque ſpiritualis noſtrorum temporum normam, & praxim plurimùm à veteri diſſidentem non ſine admiratione intuebar.* Qui lippos, vel argema contectos oculos gerunt, res ipſas clarè prout ſunt, conſpicere nequeunt. Si claro, ac Catholico oculo, M. Antoni, Patrum, ac Theologorum ſcripta perluſtraſſes nullam prorſus inter eos doctrinæ pugnam animaduertiſſes: ſed cùm ad ea euoluenda hæretico, ac caliganti oculo acceſſeris, haud ſanè mirum, quòd plurima in his tibi potiùs quàm illis repugnantia offenderis.

Obſeruabam, inquis: amicúſne, an inimicus? Inimicus planè, talem ſi quidem apertè te Romanæ Eccleſiæ eſſe declaras. Quid igitur niſi veritati inimica, ac inimico digna proferres, cui vel hoc ſolo nomine credendum non ſit? At quamuis pro-

bati odij exceptio in iudicio iuſta, ac legitima ſit, ea tamen in noſtra cauſa vti non lubet, ad rei tantùm veritatem compello. Vnde obſeruaſti dicta Patrum, Theologorum doctrinæ in multis aduerſari? Omitto quod cùm nec vnum quidem pugnantem doctrinæ locum nobis proferas, calumniatoris potiùs quàm accuſatoris perſonam geris. Si verum eſt, quòd aliquando Theologicis ſtudiis operam dederis, D. Thomæ ſummam Theologicam noſti, cuius doctrina potiſſimùm in ſcholis legitur, ac pertractatur: noſti quoque eius expoſitores quamplurimos: fortè etiam Diui Bonauenturæ Theologicos libros non ignoras, Alexandri Alenſis, Scoti; atque hi præſertim ſunt, ex quorum doctrina, communis noſtra Theologia conſtat: neque enim, quid ſinguli Lectores in cathedris legant, explicent, interpretentur moror, cùm ij horum aliquẽ magiſtrum, ac Theologię ducem ſibi vendicẽt.

Porrò, cùm horum, quos enumerauimus Theologica doctrina, adeo Patrum doctrinæ affinis, & agnata ſit, vt vix vnquam ſine Patrum teſtimonio ab iis aſſeratur, vt legentibus perſpicuum eſt; vnde tu hanc ipſis calumniam ſtruis, vt illos inter ſe doctrinarum ſchiſmate diſſidere affirmes? Quòd ſi aliquam

aliquam inter eos dogmatum diſcrepantiá lynceus aduerteras, cur eam ſaltem nobis, locis indicatis, & dogmatis diuerſitate explicata, non protuliſti? Et tamen id tibi credi vis nec probanti, nec probationem ipſam indicanti, aut inſtituenti.

Illud quidem non ignoramus, quod rectè monet Vincentius Lirinenſis: Non omnes Patrum ſententias quoquo modo prolatas, velut certas ita habendas eſſe, vt ab iis nulli vnquam recedere liceat. *Iis enim hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes, vel plures vno eodemq; ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeueranter; velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Concilio accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint; id pro indubitato, certo, ratóque habeatur.* Atque, vt idem docet, hæc Patrum conſenſio non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtiganda eſt, & ſequenda. Quapropter non negamus fieri poſſe, vt in quibuſdam leuiuſculis quæſtionib. quæ ad fidem non ſpectant, Theologi ab aliquibus Patribus aliquando diſſentiãt; velut (ſi aliquod exẽpli gratia referre lubet) quod lux illa prima die facta, fuerit tantùm ſpiritualis, docent Auguſtinus, & Rupertus: quod verò fuerit corporalis, & ſenſibilis: contra

Vinc. Lir. adu. hær.

contra ſentit D. Thomas, ac cæteri Theologi. Quòd aquæ illæ, quæ ſupra Cælos ſunt, ſint veræ aquæ, ſentiunt Baſilius, Ambr. Chryſoſtomus, quòd per eas intelligi debeat cœlum aqueum, ſeu Chryſtallinum, docent D. Thomas & D. Bonauent. Quòd Angeli ſint corporei docuerunt aliquando Iuſtinus Martyr, Origenes, & Auguſtinus, quòd verò ſint incorporei, docet D. Thomas: pleráque alia exempla prætereo. At quòd in rebus fidei, aut grauioribus quæſtionibus, vbi Patrum adeſt cõſenſus, Theologi à Patribus diſſenſerint, nunquã factum eſt, nunquam fit, nunquam fiet: neque id tu etiamſi non tantùm lynceos, ſed etiam Argi tibi oculos arriperes, aut videre, aut obſeruare vnquam potuiſti. Quò fit, vt inſulſè penitùs, & intempeſtiuè admireris Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac regiminis ſpiritualis normam, à veteri nonnihil fuiſſe immutatam: nam ſi de exteriori diſciplina, ac regimine intelligas; adeóne in Eccleſia nouus es, vt ignores diuerſa Eccleſiæ tempora; diuerſam quoque regiminis formam poſtulare; ita vt prudentiæ opus ſit iuxta hominum mores, ac morũ mutationes, Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges, ac regiminis formam mutare? Sin de fidei diſciplina ſermo

ſit, tan

ſit, tantùm abeſt, vt Eccleſiæ diſciplina, vllam modò fidei mutationem paſſa ſit: quòd nec latum quidem vnguem ab antiqua fidei norma receſſit. At iis, qui præ vino æſtuant, omnia perturbata, ac immutata videntur, quæ eundem planè ſtatum retinent. Non Eccleſiæ diſciplina M. Antoni, ſed tuus tibi mentis oculus hæreſi inebriatus, immutatus eſt. Quapropter, cùm addis, inde te ſuſpicionis incrementum hauſiſſe, quòd nos non ſatis bona fide doctrinam ac negotia Chriſti, ac ſanctæ Eccleſiæ tractemus, illud tibi Euangelicum reſpondemus. *Cur oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum.* Non nos mala fide, Chriſti & Eccleſiæ negotia gerimus; ſed tu iniquo oculo omnia noſtra intueris: & vnde alij Eccleſiæ prudentiam,& ſapientiam diſcunt; tu ſuſpicionem auges, atque ex omnibus etiam rerum bene geſtarum floribus, inſtar Aranei, malæ ſententiæ virus colligis. Sed nos tuas ſuſpiciones haud magni ducimus; cùm tibi, & ipſa Apoſtolica fides, ac Catholica Eccleſia ita ſuſpecta ſit; vt ſcandalum pariat, atque apoſtaſiæ tibi Conſilium adminiſtret.

Matth. 20.

SEXTVM CAPVT CONSILII.

Sectariorum doctrinæ veritas, & antiquitas.

ANtequam ſextum nobis tui Conſilij caput explices, M. Antoni, plura accumulas, quibus illud non ex præcipiti animo, neque ex mentis leuitate, aut inconſideratione profectum: ſed ſummo ſtudio, atque exactiſſima diligentia diſcuſſum, elaboratum, ſtabilitum niteris oſtendere. In quo ſanè illos imitaris (vt ex Vincentio Lirinenſi licet colligere) qui auſtera quædam pocula temperaturi, priùs ora melle circumliniunt; vt incauta ætas, cùm mellis dulcedinem perſenſerit, amaritudinem non reformidet: quod etiam iis curæ eſt, qui mala gramina, & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, vt nemo ferè vbi ſupraſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum. Id & tu magnopere curas; nam cùm huius tui Conſilij capitis fœtorem nulli ferè citò eſſe placiturum ſcias, ſi nudus, ac ſimplex exhaletur: idcirco illud Archiepiſcopalis dignitatis ſplendore, ac diligentiſſimi ſtudij labore, velut quodam aromate conſpergis: vt amarum, ac venenatum poculum, quod in hoc capite propinas, velut

Vincent. Lirinen. adu. hær. cap. 35.

melle

melle delinitum rudes, & incautos ſub ementita medicamenti ſpecie decipiat.

Dicis primùm te ab Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum fuiſſe euectum: equidem maiori tuo damno: id enim tibi, quod & reliquis ſuperbis, atque ad honorum faſtigia inhiantibus contigit,

—Tolluntur, caſu quo grauiore ruant.

Neque enim qui ad Archiepiſcopatus efferuntur: omnes ſtatim virtutibus ſublimiores fiunt, quibus potiſſimùm Archiepiſcopalis dignitas innixa eſt. Summi honores, ad ſummos caſus homines parant, ſi quando illis bene vti ignorent. *Sed ea*, inquis, *mihi noua, & vrgentior occaſio ſuborta, ſtudia mea innouandi, ac in iis feruentiùs, & exactiùs laborandi.* Vrgens planè, ac neceſſaria ſtudiorum occaſio; ſi non infœliciter iam ſtudia tua inchoaſſes, ac longè infœliciùs poſtea proſequutus fuiſſes. Quod vt luculentiùs appareat, cauſæ ipſæ explicandæ ſunt, quæ te ad noua ſtudia impulerunt. Prima eſt, quam his verbis explicas. *Vbi enim Suffraganeorum meæ prouinciæ Epiſcoporum moleſtiæ; ſed multò magis Romanæ curiæ nimia potentia, iura mea Metropolitica perturbantis me pulſare cœperunt: omnium Eccleſiaſticorum graduum,*

poteſta

poteſtatum, munerum, officiorum, ac dignitatum, ac præſertim Papatus mihi fuit radix indaganda, penitúſque cognoſcenda. Prima igitur tuorum ſtudiorum cauſa, & ratio fuit; perturbatus animus ob Epiſcoporũ moleſtias, & nimiam Rom. curiæ potentiam.

Primùm quidem, quòd moleſtias à Suffraganeis tuæ prouincię Epiſcopis patereris, tua non illorum culpa fuit: neque enim illi Metropolitica tua iura perturbarunt, vt ex fide dignis teſtimoniis ac rei euentu accepimus, ſed tu illis Epiſcopalia iura minuere, ac iuſta poteſtate non contentus, Metropoliticum tuum ius plus æquo augere, ac in eos extendere voluiſti: quod ſanè tum ambitionis, tum violentæ vſurpationis, ac demùm cauteriatæ conſcientiæ crimine non vacat. Cùm verò illi Romanam ſedem, iuxta Concilij I. Nycæni canonem appellaſſent: diligenter diſcuſſa cauſa, illis quidem ſua Epiſcopalia iura integra relicta ſunt, tu ab iniuſta vſurpatione deiectus. Hinc illæ querulæ voces, hinc illæ calumniæ quibus in Romanam curiam furens, Metropolitica tua iura, à nimia illius potentia perturbata oblateras.

Quòd verò cùm hac animi perturbatione ad ſtudia acceſſeris, id profectò declarat,

tales

tales tua ſtudia fructus peperiſſe;quales perturbati animi eſſe ſolent; nimirum lucis, ac veritatis expertia. Turbata enim mens, cùm intellectus lucem obtenebret, nō eò ſequitur,quò veritas, ac recta ratio ducit:ſed quò cōmota paſſio rapit: quò fit, vt hæc tua ſtudia tam perturbato animo auſpicata: non modò commodi nihil, aut vtilitatis Christianæ Reipubl.eſſent allatura:verùm etiam maximam aliquando Eccleſiæ perturbationem,ac perniciem molirentur.

Iam verò quænam hæc ſtudia fuerint, ad quæ perturbatus acceſſiſti,lubet perquirere, vt hinc perſpicuum fiat, nullum nobis verum,ac legitimum tuorum ſtudiorum fructum expectandum fuiſſe. Omnium Eccleſiaſticorum graduum, poteſtatum, munerum,dignitatum,maximè Papatus radicem indagare cœpiſti. En perturbati animi ſtudia,in quibus nō ad fidei ædificationem,ſed ad illius deſtructionem profeciſti. Ambitionis, atque iniuſtæ tuæ vſurpationis repulſam, à Romana Curia iuſtè paſſus fueras: annon tibi iudicatis acquieſcendum fuit, & culpa fletibus potiùs abſtergenda, quàm noua culpa augenda?Ita planè: Quid tu? protinus hoſtili furore ardere, inteſtina contra Pontificem odia gerere,

vindictas animo concipere, vlciſcendi occaſiones captare, Pontificium munus, ac poteſtatem tecum animo reuoluere, ſi qua via; ſi quo modo ei nocere valeas, hoc animo ad Scripturas, ad Patres, ad Concilia euolare: quæ olim antiqua fide iam firmata fuere in dubium reuocare; demū quæ priùs credideras denuò ad examen & inquiſitionem adducere cœpiſti? Quid hæc niſi furioſi, ac æſtuantis animi maximè ad hæreſes properantis teſtimonia ſunt? Quid iniuſto, ac intempeſtiuo hoc ſtudio opus erat, Antoni? Poſt Euangelium, & acceptam fidem, noua inquiſitióne non eſt opus. *Vnius, & certi inſtituti*, ait Tertullianus, *Infinita inquiſitio non poteſt eſſe: quærendum eſt donec inuenias, & credendum vbi inueneris, & nihil ampliùs niſi cuſtodiendum, quod credidiſti: dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendum; ideoq́; nec requirendum, cùm id inueneris, & credideris, quod ab eo inſtitutum eſt, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod inſtituit.*

Tertull. de præſcr. Heret.

Certè Papatus, ac omnium Eccleſiaſticorum officiorum radicem, iam ab Eccleſia didiceras, ac ſimul cum Catholica fide hauſeras: quid ea iterum tibi indaganda

ganda fuit? Niſi vt vel nouam tuam infidelitatem proderes, qui accepta fide non contentùs, nouum tibi Euangelium, ac recentem fidei normam cudis, vel nunquam te Eccleſiæ, ac Euangelij fide imbutum demonſtrares. *Nemo enim quærit* (Tertulliano teſte) *niſi aut qui non habuit, aut perdidit.*

Altera porrò cauſa, quæ te ad peſtifera hæc ſtudia permouit, fuit Venetum interdictum. *Acceſsit*, inquis, *paulò poſt Venetum interdictum. Romani libelli nos Venetæ totius ditionis Epiſcopos, vt pecudes rudes, imperitos, & malæ conſcientiæ homines deprimere, vexare, ac proſcindere non deſtiterant: hinc ad noſtras perficiendas defenſiones, veritatemq́; in ipſa cauſa Veneta cognoſcendam, noui, & ardentioris ſtudij mihi nouæ ſunt datæ occaſiones. Sacri antiqui Canones, Concilia orthodoxa, Patrum diſciplina, Eccleſiaſtica priſca conſuetudo fuerunt mihi etiam atque etiam peruolutanda.* Ex Veneto interdicto, quid tibi cauſæ arripueris ad tua ſtudia ardentiùs proſequenda, atque augenda intelligo: ardentiſſimum quippe te illius cauſæ patronum iam declarauera,ne opportuna Romano Pōtifici nocendi occaſio, quæ tibi ex Venetæ Reipub. cauſa offerebatur, è digitis efflueret, ne-

que vlli officio deeſſes,quo immane aduerſus Apoſtolicā ſedē conceptum odiū oſtenderes. At verò quòd ad Venetā cauſam attinet:ſi aliud vnquā,tu illi turpi, hac tua defectione plurimùm nocuiſti:neque enim quiſpiam modò, illius cauſæ patrocinium ſibi aſſumere audeat, quam ab aperto Hæretico, ac transfuga defendi, ac ſuſtineri intelligat?

Porrò, quòd ais Venetæ ditionis Epiſcopos, à Romanis libellis, vt pecudes rudes, imperitos, & malæ cōſciētiæ homines proſciſſos fuiſſe; falsò in tuæ cauſæ præſidium aſſumis,vt aliqua,ſin minùs legitima,ſaltem humana cauſà te permotum fuiſſe oſtendas. At Romanos libellos vidi, legi, perlegi, quos illuſtriſſimus B. llarminus, Baronius, Iouius, & alij conſcripſerunt; neque in his conficta hæc à te conuitia vnquam aut legi,aut perſpexi; quin potiùs in his modeſta omnia,amica omnia, omnia doctis, ac piis hortationibus plena perſpicere licet. Tu ſolus malæ fidei, ac conſcientiæ hominem te eſſe declaras, qui Romanos libellos falſis calumniis proſcindas. Quid alij Venetæ ditionis Epiſcopi in ea cauſa cōtulerint,curioſè non inquiro:te quidem illius cauſæ acerrimum defenſorem, ac fortè importunum

promo

promotorem fuiſſe non ignoramus; vt hoc erga patriam Rempubl. grati, ac propenſi animi officium oſtenderes, quod in ea exitiales flammas, quibus tota arderet, incenderes; vel iam accenſas enutrires, atque ad cineres, ac fauillas vſque augeres.

Hinc quo conſilio, quóve profectu ſacros Canones, Concilia orthodoxa, Patrum diſciplinam, Eccleſiaſticas conſuetudines peruolutaueris, omnibus perſpectum eſt. Id verò magis perſpicuum reddunt, quæ ſtatim ex hoc ſtudio te collegiſſe cõcludis, his verbis. *Quid plura? Inueni pleniſsimè in his ſolis quicquid quærebam, & multò amplius etiã quàm quærebam.* Credo, M. Antoni, quærebas nouã fidem, nouum Euangelium, nouam Eccleſiam: omnia inueniſti, ac multò etiã amplius quàm quærebas. Inueniſti enim nouam perfidiam, nouum errorem, nouam Satanæ ſynagogam: quærebas noua mendacia, quibus conceptum in Pontificem odium, ſub veritatis prætextu exerceres: atque eo docente, qui mendacij pater eſt, nõ ſolùm noua mendacia: ſed cum iis quoque nouam impietatem inueniſti. Quod ne tibi calumniæ loco inuſtum eſſe quis exiſtimet, iam quid inueneris ex te aperio.

Iam verò, inquis, *apertioribus oculis facilè fuit*

obſeruare doctrinam illarum Eccleſiarum, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias, & quæ à nobis acriter reprehenduntur, à noſtriſq; Theologis impugnantur; à vera priſca Eccleſiæ puræ doctrina vel nihil, vel parum admodum aberrare: eamq; non quòd reuera hæretica ſit, aut falſa; ſed quia ſenſûi, corruptiſq; curiæ Romanæ moribus, ipſiuſq; humanis conſiliis, & inuentis iam plenè factæ temporalis aduerſatur; Romæ, & apud nos horreri potiùs, & repelli, quàm legitimè impugnari. En iniuſtæ, ac infidelis inquiſitionis profectus: en nouam perfidiam ex temerariæ huius inquiſitionis ſtudio progenitam. O quàm præclarè (M. Antoni) vniuerſam poſteritatem tuo caſu doces, vt præter id, quod ſemel acceptum eſt, atque ab Eccleſia traditum nemo aliud temerè inquirat; niſi à vera fide velit excidere, ac perfidiam pro fide ſibi obuiam habere. Certè vt monet Hilarius, *Oportuerat humanæ infirmitatis modeſtia, omne cognitionis diuinæ Sacramentum, illis tantùm conſcientiæ ſuæ finibus contineri, quibus credidit, neque poſt confeſſam in Baptiſmo fidem quicquam aliud vel ambigere, vel innouare.* Sed tanta eſt hodie quorumdam hominum veſania, tanta excœcatæ mentis

Hilar. ad Conſtãt. Auguſt.

tis

tis impietas, tanta poſtremò errandi libido, vt contenti non ſint tradita ſemel, & accepta antiquitus credendi regula: ſed noua, ac noua in dies quærant, quibus haud mirum eſt antiquam fidem euaneſcere. Quamobrem illa omnib. fidei regula certa, ac tuta eſſe debet, quam Apoſtolus Epiſcopo Timotheo tradit; quam & tu Epiſcopus ſequi debueras. *O Timothee depoſitum tuum cuſtodi.* *Paul. 1. Tim. 6.* Quodnam verò hoc depoſitum ſit, quod Apoſtolus Epiſcopis, ac cæteris omnibus cuſtodiendum tradit, egregiè tibi declarat Vincentius Lirinenſ. perinde ac ſi tecum agat, his verbis. *Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum: quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ: non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator: non docens, ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi: Catholicæ fidei talentum, inuiolatum, illibatúmque conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur: aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubijcias: nolo pro auro, aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas.* *Vinc. lirin. adu. hæreſ. c. 27.*

Hæc tua ſtudia eſſe debebant, hi ſtudiorum fructus; vt quod in Eccleſia, ac Dei agricultura ſatum fuerat, hoc tua induſtria excoleretur: te exponente intelligeretur illuſtriùs, quod antea credebatur obſcuriùs: Per te poſteritas intellectum gratularetur, quod antè vetuſtas non intellectum venerabatur: eadem tamen, quæ didiceras, ſemper ita doceres, vt cùm diceres nouè, non tamen diceres noua. Denique quid præter acceptam fidem, niſi apertum fidei naufragium, à quo tandem miſerè abſorptus es, inuenire potuiſti? Cùm vt docet Hilarius, *Inter fidei naufragia quibus cæleſtis patrimonij, iam penè profligata eſt hæreditas, tutiſſimum nobis ſit primam, & ſolam Euangelicam fidem confeſſam in Baptiſmate, intellectamque retinere, nec demutare: quod ſolùm acceptum, atque auditum habeo, bene credere.*

Hilar. ad Conſt.

Hæc igitur, M. Antoni, non alia tui lapſus cauſa fuit: dum enim accepta in Baptiſmate fide non contentus, plus æquo in fidei inquiſitione exardeſcis, ac temerè ea quæ nunquam vel à te accepta, vel tibi tradita ſunt quæris: tandem in perfidiæ lapidem impegiſti: ita vt aſſerere non erubeſcas, te apertioribus oculis obſeruâſſe

Hæreti

Hæreticorum doctrinas, quas Catholica Eccleſia velut falſas, & hæreticas damnat: neque falſas, neque hæreticas eſſe: ſed antiquæ, ac puræ doctrinæ ſacra eſſe germina.

Quid M. Antoni? Etiámne Nicolai, Simonis magi, Marcionis, Cerdonis, Menandri, Baſilidis, ac deinde Arrianorum, Donatiſtarum, Manichæorum, Neſtorianorum, reliquorúmque Hæreticorum doctrinas, quas Eccleſia Romana ſibi excitat aduerſarias, & quæ à noſtris Theologis acriter impugnantur, puras doctrinas, atque à priſca Eccleſiæ doctrina minimè diſſentaneas cenſes? Indefinitè ſi quidem illas Eccleſias nominas, quas plurimas Roma ſibi excitat aduerſarias. Si id contendis, ſanè non tam Patres, Concilia, ſacros Canones, Eccleſiaſticas conſuetudines oppugnas (in quibus tamen te id inueniſſe affirmas) ſed ipſas quoque Scripturas conuellis: ex quibus apertiſſimè Patres, & Concilia priſcorum Hæreticorum, doctrinas, velut falſas, ac Hæreticas demonſtrarunt: atque inde non tam Hæreticus, quàm Hæreticorum omnium fautor, ac omnium hæreſum Hereſiarcha dicendus es.

Quòd ſi te ad noſtræ tantùm tempe-

ſtatis Sectarios contrahis. Pudeat te id effari, nedum ſcripto prodere quo ſtatim ſceleris arguaris. Quis enim ignorat inteſtina fidei, ac doctrinarum bella, quæ inter Sectarios ardent? quàmque grauiter, ac pertinaciter de ſummis fidei dogmatibus, Lutherani à Lutheranis: Anabaptiſtæ, ab Anabaptiſtis: Caluiniſtæ à Caluiniſtis: præſertim verò Lutherani à Caluiniſtis, & ab his Anabaptiſtæ diſſideant? Quæ doctrinarum diſſidia poſt alios, nos quoque in 2. tomo noſtrarum Demonſtrationum lib. 2. exam. 4. in 2. & 3. parte examinis fusè, & candidè proſequimur. At quo pacto tot diſcrepantes doctrinæ, quæ inter Sectarios exagitantur, cum pura, atque antiqua fidei doctrina conſpirare poſſunt?
Ad Eph. 4. Cùm enim vna ſit fides, teſte Apoſtolo, ac vna fidei doctrina: ſanè in eam plures ac diſſidentes doctrinæ nullo modo conuenire poſſunt: quò fit, vt cùm Sectariorum doctrinas cum priſca, ac pura doctrina collimare affirmas, vel fidei vnitatem ab Apoſtolo conteſtatam euertas, ac ſimul omnem fidei veritatem conuellas; vel impoſſibile aliquid aſtruas, quod nullo ingenio excogitari poſſit. Si tandem quælibet doctrinarum

rum capita, quæ Sectarij aduerſus Romanam Eccleſiam proferunt, inſpicias, miror qua ratione, ea cum antiqua Eccleſiæ doctrina conſpirare dicas, cùm ab ea tam longè diſſita ſint, vt nec ſimilitudinis quidem ſpeciem gerant.

Placet pauca tantummodo ipſorum doctrinæ capita ad antiquam Patrum, ac Conciliorum doctrinam examinare: (plura enim referre non fert inſtituti libelli breuitas) vt ex his diſcas, quàm miſerè te huius temerariæ inquiſitionis ſtudium fefellerit. Doctrina eſt Eccleſiæ Romanæ inuiſa: Deum eſſe culpæ auctorem; quam docet Lutherus in aſſertionibus articulo 36. his verbis. *Mala opera Deus in impiis operatur.* Clariùs Philippus Melanchton in cap. 8. epiſt. ad Romanos. *Non eſt* (ait) *cur frigidum gloſſema recipiamus, Deum mala permittere, non etiam facere.* Clariſſimè Caluinus, Inſtitutio. lib. 1. cap. 18. *Dicitur* (inquit) *idem Satan excæcare infidelium mentes: ſed vnde hoc, niſi quod à Deo ipſo manat efficacia erroris vt mendaciis credant.* Idem aſſerunt Beza libr. contra Caſtalionem, Auguſtinus Marloratus in c. 1. ep. ad Rom. verſu 24. Repugnat antiqua Patrum doctrina.

Nam

Clemens Alexan. lib. 1. pædag. Nam Clemens Alexandr. qui ſecundo ſeculo in Eccleſia floruit, ita ſcribit. *Eius, qui elegerit, culpa non poteſt in Deum cauſa conferri: Deus enim nunquam eſt cauſa malorum.* Eandem confirmant *Cyprian. epiſt 52.* Cyprianus, *Neque enim* (ait) *mala facta de Spiritu ſancto veniunt, ſed de aduerſarij inſtinctu.* Athanaſius orat. contra Idola. Baſil. hom. 2. exam. Hieronymus in ca. 1. ad Epheſ. Chryſoſt. hom. 13. in 1. ad Cor. Auguſtinus de Natur. & gratia cap. 3. De libero arbitr. cap. 1. & paſſim. Gregorius Nycænus orat. catech. c. 5. & 7. Ac cæteri Patres, ac prætereа Conc. Arauſicanum. 2. cap. 25.

Doctrina eſt Sectariorum Romanæ Eccleſiæ aduerſaria; liberum arbitrium figmentum eſſe in rebus: ſeu titulum ſine re. Ita Lutherus in Aſſertionibus art. 36. Idem docent Melanchton ad cap. 8. ad Rom. Caluinus lib. 2. Inſt. cap. 3. Pugnat contra *Clemens Rom. l. 5. recog.* illam, Doctrina Patrum. Ex Græcis Clemens Rom. lib. 5. recognit. ita docet. *Nunc autem quàm liberum eſt animo in quam velit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit eligere viam, conſtat euidenter ineſſe hominibus arbitrij libertatem.* Hoc ipſum docent Iuſtinus Martyr orat. ad Gentiles. Irenæus lib. 4. cap. 71. Clemens Alexandr.

lib. 1.

lib. 1. Strom. Athanaſius oratione contra idola. Cyrillus Hieroſ. catacheſ. 4. Nicænus in cant. hom. 4. Chryſoſtomus in gen. hom. 22. Ex Latinis Tertullianus lib. 2. adu. Marcionem ca. 5. Cyprianus de vnit. Eccl. Hilarius in Pſal. 2. Ambroſius lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 1. Hieron. in cap. 49. Iſai. & ad cap. 7. Eccleſiaſtis. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 10. & paſſim.

Doctrina eſt Eccleſiæ Rom. inimica, Lutheri in confut. rat. Latomi, & Lutheranorum. Mandata Dei eſſe impoſſibilia, quam etiam confirmat Philip. Melanchton ad ca. 4. ep. ad Gal. & Caluinus lib. 2. inſtit. ca. 7. vbi ita docet. *Sit extra controuerſiam, impoſſibile eſſe in hac carne, legis implementum.* Cui omnes Caluiniſtæ conſentiunt in Catechiſmo. Eam tamen docet Auguſtinus ſerm. 191. de Temp. his verbis. *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum:* Et cum eo idem docēt Origen. hom. 9. in Ioſue. Athan. de virginit. ſeru. Baſilius in regulis breuioribus reſp. 176. Chryſoſtomus hom. 18. in Matt. Cyrillus Alex. lib. 3. contra Iulianum. Hilarius in Pſal. 118. Hieronym. aduerſus Pelagianos, Leo magnus ſerm. 5. de quadrag. ca. 1. & Conc. Arauſic. 2. c. 25.

Doctrina eſt à Rom. Eccleſia damnata, quam profitentur Sectarij: nempe fidem ſolam ad iuſtificationem, & ſalutem ſufficere. Hanc tradit Lutherus ad cap. 2. ad Gal. His verbis. *Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, vt iuſti ſimus: cætera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs, neque prohibita.* Et eodem tempore Caluinus Inſtitut. lib. 3. cap. 14. & Caluiniani, ac Lutherani omnes. Quam tamen reprobat antiqua Patrum doctrina.

Cyrillus Hieroſ. cat. 15. Cyrillus Hieroſ. *Non in hoc ſolùm confidas* (inquit) *quod credis, ſed fidem ardentem conſerua, vt luceat lux tua coram hominibus per opera bona.*

Chryſoſt. hom. 9. in Ioan. Confirmat Chryſoſtomus. *Nolimus fidem nobis ad ſalutem ſatis eſſe exiſtimare: nam niſi vitam puram exhibuerimus, & hac cæleſti vocatione digna nos induerimus veſtimenta, quibus ad nuptias admittamur: nihil nos eripiet, quin eodem quo miſer ille, afficiamur ſupplicio.* Et cum Chryſoſtomo Clemens Rom. conſtitut. Apoſt. lib. 3. cap. 12. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Tertullinanus lib. 2. contra Marcionem. Cyprianus de vnitate Eccleſiæ & de opere, & eleemoſynis Lactantius lib. 3. Inſtitution. capit. 9. Hilarius in Matth. canone 6. & 7. Ambroſius lib. 2. de officio. cap. 2.

Hic

Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 6. Auguſtinus de fide, & operibus cap. 14. & alij.

Doctrina eſt Romanæ religioni exoſa: Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem, quam tradit Lutherus de captiuitate Babylonica cap. de Baptiſmo, ita ſcribens. *Baptiſmus neminem iuſtificat, nec vlli prodeſt.* Cui ſubſcribit Caluinus lib. 1. Inſtit. ca. 16. §. 25. & defenſione 2. contra Vveſtphalum. Beza de Cœna Domini contra Vveſtphalum, ac cæteri Caluiniſtæ. Contra illos pugnat Auguſtinus, his verbis. *Noli credere, noli docere, infantes antequam baptiſentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum; ſi vis eſſe Catholicus.* Et cum Auguſtino Irenæus lib. 2. cap. 39. Origenes hom. 8. in Leuit. Gregorius Nazianzenus oratione 40. Chryſoſtomus homilia de Adam, & Eua, Cyprianus epiſt. 59. Ambroſius lib. 2. de Abraham, Hieron. dialogo 3. contra Pelagianos Concilium Mileuitanum epiſt. ad Innocentium; ac reliqui Patres.

Aug. lib. 3. de anima & eius orig. cap. 9.

Poſtremò doctrina eſt, quam Romana anathematizat Eccleſia. Corpus Chriſti non realiter: ſed tãtùm tropicè, aut figuraliter in

Sacramento Euchariſtiæ contineri. Quam defendunt Caluinus contra Vueſtphalum defenſione 2. & admonitione vltima. Zuinglius epiſt. ad Eſligenſes. Oecolampadius, de verbis cœnæ. Bulingerus dec. 5. de cœna Domini, Petrus martyr in diſputat. Oxonienſi. Hanc doctrinam damnant ſancti Patres. Cyprianus, ita ſcribit. *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat: non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* Aſſentitur Ambroſius, his verbis. *Tu fortè dicis meus panis eſt vſitatus: ſed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſit conſecratio de pane fit caro Chriſti.* Quibus accedunt Anacletus epiſt. 2. ca. 2. Alexander 1. epiſt. 1. cap. 4. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. Ignatius epiſt. ad Rom. Iuſtinus Apolog. 2. ad Antoninum pium. Irenæus lib. 4. cap. 34. Origenes in Num. hom. 7. Baſilius exhort. de Baptiſmo. Cyrillus Hieroſolym. catech. 3. Myſtago. Gregorius Nazianz. orat. 2. in Paſcha. Chryſoſt. hom. 83. in cap. 26. Matt. Hilarius lib. 8. de Trinitate. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 4. Reliqua doctrinarum capita non percurro, quæ aliàs in noſtris demonſtrationibus fuſè proſequuti ſumus.

Cypr. de Cœna Domini.

Ambr. li. 4. de Sacram. ca. 4.

Iam ex his clariùs perſpicere potes, te

non

non apertioribus, ſed obſcurioribus, ac prorſus cæcis oculis Sectariorum doctrinam, quæ à Romana Eccleſia reprehenditur aſpexiſſe: cùm eam cum priſca ſanctorum Patrum doctrina concordem auſus es aſſerere: neque aperta calumnia carere, quod dicis eam, non quòd reuera falſa, aut hæretica ſit: ſed eo tantùm nomine, ac titulo apud nos exhorreri, quòd Romanæ Eccleſiæ moribus infeſta ſit: cùm vel ea tantùm ratione, (vt cæteras prætercam) falſa, atque hæretica cenſenda ſit, quòd cum vera, atque antiqua Patrum, ac Conciliorum doctrina pugnat. Veriſſimum enim illud eſt, quod ſcribit Vincentius Lirinenſis, id apud omnes fere hæreſes, quaſi ſolenne eſſe, atque legitimum; *vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, à fide naufragent. Contra verò Catholicorum hoc proprium, depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſeruare, damnare profanas nouitates, & ſicut dixit Apoſtolus. Si quis annunciauerit, præterquam quod acceptum eſt, anathema ſit,* Vinc. Lirin. adu. hæreſ. c. 43. Ad Gal. 1.

SEPTIMVM CAPVT CONSILII.

Nouorum articulorum fidei in Romana Eccleſia confictio.

SEx iam monſtruoſi tui Conſilij capitibus abſciſſis: ſeptimum obtruncandum aggredior, de quo ita ſcribis. *Vidi iam apertiſsimè, penituſq́ perſpexi Romæ abſque vllo legitimo fundamento, imò per ſummam vim innumeros fidei articulos, nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi in his non modò, quæ ad fidem diuinam nihil pertinent: ſed etiam manifeſtam in ſe continent falſitatem.* Cùm hæc tua legerem, mihi alterum Nabuchodonoſorem audire videbar, qui nos illis verbis compelleret. *Vidi ſomnium, & mente confuſus ignoro quid viderim ſomnium itaque dicite mihi.* Quid aliud, M. Antoni, præterquam cerebri tui ſomnia, quæ alto errorum ſopore depreſſo, tibi ſimulata veri ſpecie apparent, pro veris viſionibus obtrudis. Vidi, inquis, quid vidiſti? Niſi quod nunquam fuit, nunquam eſt, nunquam erit: falſam rerum imaginem, quam vi rationali, ſimultatis vinculis conſtricta, ſolus, ac liber ſenſus ad falſa omnia confingenda, ex confuſa ſpecierum mixtione imaginatiuæ virtuti ſubminiſtrat. Videbaris quidem tibi

Dan. 2.

apertiſſi

apertiſſimè videre , penituſq́; perſpicere, quod ſomniatoribus ſæpe accidit : at nihil præter ſomnium, ac fictam rerum apparentiam vidiſti, quæ te potius illuderẽt, &ſomniatorem magis, quàm vera videntem demonſtrarent.

At illud planè admirabile, quòd cũ mente confuſus ignores, quid videris, vel ſaltem quid ſomniaueris nõ explices , neque enim ſpeciatim exponis , quinam ſint innumeri illi fidei articuli , quos quotidie nouos Roma cudit: tamen nobis ſomnium tuum diuinandum relinquis. Age , quandoquidem id maximi criminis loco nobis impingis; quòd innumeri fidei articuli Romæ quotidie fabrefiũt : cur ſaltem huiuſmodi articulorum vnum , aut alterum palàm nobis non exponis? Certè in eos omnia iura reclamant, qui calumniã ſine probatione ſtruũt. Tu verò non tam improbatam calumniam Romanæ Eccleſię inuris, quàm nullo ſingulari termino explicatam, eam tibi credi vis, atque illam in tui Conſilij caput aſſumis. Quis profectò non videat te nobis hanc ſomniaſſe calumniam : neque aliud eſſe, quod de noua hac articulorum fictione dicis , præterquàm merum cerebri tui figmentum , nulla rei veritate ſubſiſtens.

Vinc. Lirin aduer. hær. c. 32. Certa ſiquidem eſt illa Lirinenſis vox, quæ ad præſentem quoque Eccleſiæ ſtatum pertinet: *Chriſti Eccleſia ſedula, & cauta depoſitorum apud ſe cuſtos: nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua*: quò fit vt quæ ad hoc crimen augendum ſubiicis, non tam nobis non noceant, quin potius falſæ tuæ criminationis culpam augeant.

Quis enim ex innata tibi mentiendi libidine id profectum eſſe facilè non animaduertat: quòd ais Concilia ſacra iamdiu à Romana curia fuiſſe compreſſa? Quis malus genius M. Antoni, te iſthæc tam apertè falſa effare compulit? Cùm apertiſſimum ſit, nihil magis Romanam Eccleſiam, poſt diuina oracula, quàm ſacra, & legitima Cõcilia venerari, atque omni religione integra ſeruare. Quippe quæ olim iis vſa fuerit, atque etiam nunc vtatur ad varias hæreſum ſoboles ſuffocandas. Eia (M. Antoni) decem & octo generalia Concilia legitimè celebrata numerantur: octo apud Græcos: decem apud Latinos. Apud Græcos Nicænum primum, Cõſtantinopolitanũ 1. Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinópolitanum 2. Conſtant. 3. Nicænum 2. Conſtant. 4. Apud Latinos verò, Lateranenſe

1. 2. 3. 4. Lugdunenſe 1. & 2. Viennenſe, Florentinum, Lateranenſe 5. & Tridentinum. Quodnam ex his à Romana Eccleſia compreſſum fuit? Nullum profectò; ſana omnia, atque integra apud nos vigent. Hæc ſanè te falſi crimine accuſant. Cur non potiùs dixiſti te, ac ſectarios ſacra Concilia exhorrere, criminari, ac trucidare: cùm id omnibus perſpectum ſit Lutheranos (vt ex teſtimonio Magdeburgenſium cent. 8. c. 9. cent. 9. c. 9 liquidò conſtat) ſex tantùm priora Concilia recipere; Caluiniſtas, quatuor; Trinitarios in Hungaria, & Polonia nullum. Quòd ſi, vt profiteris; cum omnibus conuenis: priùs, ſex tantùm Concilia cum Lutheranis, cæteris execratis, accipis: tum verò quatuor duntaxat, duobus abſciſſis amplecteris: denique nullum cum Trinitariis admittis; & ſic omnia comprimis.

Sed adhuc crimen auges, cùm addis. *Fuit aliquando articulus fidei, vniuerſalem Eccleſiam per totum mundum diffuſam, eſſe Eccleſiam illam Chriſti Catholicam, cui Chriſtus ipſe perpetuam promiſit aſſiſtentiam.* Doce, M. Antoni, Quiſnam Chriſtus huius articuli auctor fuerit, quis Apoſtolus promulgator, quæ Eccleſia depoſitaria, quæ fides cuſtos, quis populus obſeruator? Id quidem ex

ſymbolo Apoſtolico didicimus: vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam credendam eſſe; ſed quòd ea tantùm ſit Catholica Eccleſia credenda, quæ locorum ſpatiis per totum orbem eſt diffuſa, nunquam hunc fidei articulum Apoſtolicâ doctrinâ traditum accepimus. Audiuimus certè Chri-
Act.1. ſtum Apoſtolis prænunciantem. Act.1. Eccleſiam in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ eſſe diffundendam: ſed illud nunquam audiuimus, quòd vera Chriſti Eccleſia, ea tantummodo credenda ſit, quæ ſemper in omnes mundi partes eſt diffuſa. Cùm enim non niſi longè poſt Apoſtolorum tempora, & vix tempore Auguſtini, Chriſtiana Eccleſia cunctas mundi partes occupauerit: plane id tibi credendum eſſet priſca illa tempora Apoſtolica, & quæ iis multò poſt ſucceſſere, vera Eccleſia caruiſſe. Et cùm non longè poſt Auguſtinum Eccleſia totius orbis imperio potita fuerit; ſed plurimæ hæreſes VVandalorum, Gothorum, Græcorum, ac poſtremò Mahometiſmus magnam orbis partem occupauerit, & Eccleſiæ ſubripuerit, nulla tot intercectis temporibus fuiſſet Eccleſia, cui
Chriſtus

Chriſtus perpetuam ſui aſſiſtentiam exhibuiſſet.

Quid plura? Tibi etiam Eccleſia periit: quid ergo vltra latentem Eccleſiam quæris? Non eſt illa Chriſti Eccleſia (te docente) quæ non eſt toto orbe diffuſa. Id te credere oportet; tibi enim hic fidei articulus eſt præſcriptus: ſed latens Eccleſia non eſt toto orbe diffuſa (eſſet enim conſpicua, & euidens) falsò igitur te veram Eccleſiam in Anglia quærere, ac inuenire poſſe iactas. Neque enim Anglicana Eccleſia eſt per totum orbem diffuſa: cùm neque Græciæ, nec Italiæ, neque Galliæ, nec Hiſpaniæ, neque Germaniæ, neque Indica ampliſſima regna: præter quædam Galliæ, ac Germaniæ oppida ſibi vendicet. Tibi igitur, non nobis hic fidei articulus ſancitus ſit.

Nos quidem primùm id credimus, ac ſentimus Eccleſiam non idcirco Catholicam ab Apoſtolis appellari, quòd vbique ſemper neceſſariò diffuſa eſſe debeat: ſed quòd vbicunque diffuſa eſt; eadem ſemper ac vbique fidei dogmata doceat, ac prædicet: ita vt Eccleſiæ vniuerſalitatem, non ad locorum, ſed ad fidei vniuerſalitatē, quæ ex conſenſione, integritate, atque antiqui-

tate compacta eſt, referendum dicamus: quo catholica Eccleſia ab omnibus Hæreticorum ſectis diſcernatur. Quamquam neque id reſpuimus Eccleſiam quoque propterea Catholicam appellari, quòd vel omnia orbis loca iam occupauerit: vel aliquando ſit occupatura. Ita vt Catholicum, quod de Eccleſia credendum proponitur, non omnia Eccleſiæ tempora circumeat; ſed confuſè tantùm pro aliqua temporis differentia ſupponat.

Quamobrem cùm nos accuſas, quòd hunc articulum ita contraxerimus, vt iam Catholica Eccleſia, ipſa Romana curia intelligatur, perfidè agis: nam cùm Romana curia Catholicæ, ac Romanæ Eccleſiæ tantùm pars quædam ſit, quis vnquam Catholicam Eccleſiam ad Romanam curiam contraxit? Sed quia Romana Eccleſia ea eſt, quæ omnium Eccleſiarum mater agnoſcitur, & à qua cæteræ Eccleſiæ fidei veritatem ac vniuerſalitatem mutuantur; rectè Catholicam Eccleſiam, Romanam nuncupamus. Quòd verò velut criminis loco nobis obiicis, nos firma fide credere in ſolo Papa totum Chriſti ſpiritum reſidere: id nos honoris loco ducimus, & lubentiſſimè ex Chriſti & Apoſtolorum doctrina, Pontificiæ dignitati

gnitati tribuimus, vt qui vnicum licèt ſuffraganeum in Eccleſia caput eſt à Chriſto inſtitutus: in eo etiam Chriſti ſpiritus reſideat: à quo in cætera Eccleſiæ membra diffundatur. Neque indignum exiſtimamus (vt tu nos indignè carpis) quicquid in honorẽ vniuerſalis Eccleſiæ olim dictum fuit, id totum ad Romanam Eccleſiam, quam tu curiam,per odium, ac calumniam vocas, non per ſummam vim, aut iniuriam (vt tu ipſe garris)ſed per ſummum ius,ac iuſtitiam pertrahere. Nam vt illud interim taceam, quod hæc ſola illa Eccleſia eſt, quæ Petri curæ commendata, ac Romanis Pontificibus, Petri ſucceſſoribus ſubiecta, diuinas Chriſti promiſſiones accepit. Nos Eccleſiam catholicã à Romana non ſecernimus, neque aliam Catholicam, aliam Romanam eſſe exiſtimamus, ſed eandem omnino Eccleſiam aſſerimus; ſed Romanam idcircò nuncupamus, vt eam ab Hæreticorum ſectis,quæ Catholicę Eccleſiæ plerũq;ſibi nomen arripiunt,diſcernamus,atq; eam tãtùm Catholicã Eccleſiã eſſe doceamus, quę cum Romana communicat,& Romanum Pontificẽ viſibile totius Eccleſię caput agnoſcit.

Cęterum illius doloris,quẽ in animo tuo incredibilem excitatum ſimulas: ob pluri-

ma,quæ Romę ad fidei articulos reducũtur *quibus* (ais) *animæ fidelium miſerabiliter decipiuntur, & in barathrum perditionis ruunt: ob innumerabiles quoque Romanæ curiæ nouitates, pernicioſiſſimos errores, quibus ſcandala in Eccleſiam inuehuntur, & regna ſubuertuntur, & ſchiſmata fiunt:* aliquem medicum, & conſolationem habeas. Gregorium in primis exhibeo, qui hos tuos non Columbæ, ſed fictos Crocodili gemitus, necem, ac funus minitantes agnoſcit: ac facilè curandos cẽſet, ſi peſtiferum ſub his, hæreſis virus latens aperias, ac euacues. *Hæretici* (inquit) *quaſi infirmãti Eccleſiæ ſe condeſcendere ſimulãt, eique ſub blandimentorum ſpecie dolos deceptionis parant, & dum verba molliunt virus infundunt.* Alterum quoque Bernardum adhibeo, qui peſtiferum, ac lethale vulnus; vnde tibi dolor erumpit, velut ferro aperit, ita ſcribens. *Veſtras ô Hæretici manus neque adultera effugit, nec pudica: veſtras accuſationes nec ſanctus, nec peccator euadit. Diſſimulatis peccata veſtra, vbi inueneritis aliena: alioquin verò ſi quis fortè ſuum non habet, veſtrum & crimen impingitis.* Ita ſanè res ſe habet. Num cùm ſingulare tuum ſcelus ſit; non tam nouos fidei articulos, quàm nouam fidem ac Euangelium cudere, quibus nouam tibi

Greg. lib. 3. mor. cap. 19.

Ber. ser. 3 de Adul. & Insan.

Eccleſiam ex omni ſectarum colluuie compactam ſtruas: nihilque nobis præter profanas, ac toto orbe damnatas dogmatum nouitates obtrudas, quibus in hominum conſcientias graſſaris, ſcandala paris, pacem Eccleſiæ turbas, ac erronea ſchiſmata in orbe excitas? quibus innumeras animas ab Eccleſiæ ſinu raptas ad æternum interitum trahis: Illud tamen meretricia prorſus, ac hæretica fronte, quaſi proprium crimen Romanæ Eccleſiæ impingis: cúmque tuum agnoſcere debeas, velut alienum in nobis lugere te ſimulas. Sed iſta non perſequor.

Illud tamen audio, quòd has omnes Romanæ Eccleſiæ ementitas nouitates, errores, ſcandala, ſchiſmata in opere tuo de Republica decem libris perſtringere polliceris. Rideo promiſſum: ſed temeritatem admiror, qui id liberè polliceri audeas, quod nulla ratione reddere vnquàm poſſis. Mihi tamen iuſtiùs nouitates, errores, ſcandala, ſchiſmata, & præter hæc mendacia, ac contradictiones, quibus hoc tuum opus grauidum eſt: velut proprios illius fœtus (fuſiùs quidem in tui operis examine proſequi) parcè tamen hîc indicare ſtatutum eſt: vt deſinas opus iactare, quod

turpi

turpitudinis tuæ maculas potiùs detegere, quàm vllas Romanæ Eccleſiæ tenebras offundere queat.

Primùm quidem nouitas eſt quod ais, 1. lib. cap. 1. Chriſtum in Eccleſiæ regimine, nullum habere ſucceſſorem: cùm aduerſus illam tota Patrum, ac Conciliorum (Scripturas prætereo) antiquitas pugnet: quæ conſtanter docent B. Petrum in Eccleſiæ regimine fuiſſe legitimum Chriſti ſucceſſorem. Pugnant enim ex Græcis, Clemens Rom. epiſt. 1. ad Iacobum, Origenes hom. 5. in exod. & ad cap. 6. ad Rom. Baſil. ad cap. 2. Iſai. Gregorius Nazianzenus orat. 26. Chryſoſtomus hom. in Petrum Apoſt. & Heliam prophetam, Cyrillus Alexand. lib 2. in Ioan. c. 12.

Pugnant ex Latinis, Tertullianus de monogamia cap. 8. Cyprianus epiſt. 40. & de vnit. Eccl. Marcellus 1. epiſt. 1. Hilarius ad Pſal. 131. Ambroſius ad cap. 1. & 2. ad Galat. Hieron. lib. 1. adu. Iouin. c. 14. Auguſt. in quæſt. vet. & nou. Teſtam. q. 75. Eucherius Lugdun. in vigilia S. Petri, Leo magnus ſerm. 2. in anniuerſario die aſſumpt. ſuæ ad Pontificatum. At acerrimè Concilium Nicænum 1. can. arab. 39. vbi diſertis verbis, Petrum Chriſti ſucceſſorem, & Romanum Ponti

Pontificem vicarium Chriſti appellat: ex quo facilè perſpicuum fit, hanc non modò nouitatem eſſe, priùs antiquitati ignotam: ſed etiam errorem Scripturis repugnantem, vt aliàs demonſtrabimus: ſcandalum, eo quòd fidem ſubuertat, ac fideles decipiat: ſchiſma, quòd Eccleſiam à legitimo ſuo paſtore diuellat: mendacium, quòd antiquam veritatem proſternat; contradictionem paulò inferius explicabimus.

Nouitas pari ratione, error, ſcandalum, ſchiſma; mendacium eſt, quod ſcribis cap. 3. Petrum non fuiſſe Apoſtolorum principem: ſed Apoſtolos omnes officio, ac poteſtate fuiſſe omnino inter ſe pares: Cui aduerſatur Chriſtus apud Matth. 16. & apud Ioan. 21. ac præterea vniuerſi Patres, quos ſupra enumerauimus: qui Petrum Apoſtolorum principem, Eccleſiæ caput eſſe dicunt.

Nouitas, error, ſcandalum, ſchiſma, mendacium eſt, quòd Apoſtolis omnibus & non ſoli Petro, Chriſti vicarij in terris nomen, & officium æquè datum fuiſſe doces cap. 4. Iiſdem Scripturarum, ac Patrum teſtimoniis repudiata.

Contradictio eſt aperta, quòd cap. 5. velut palinodiam canens, ais, Primatum aliquem

quem Petro eſſe concedendum, nempe dignitatis; & præeminentiæ, quem cap. 3. negas. Vide annó apertè hæ duæ propoſitiones inter ſe pugnent. Prima, Apoſtoli omnes in omni officio, ac munere Apoſtolico, ac in omni poteſtate fuerunt inter ſe pares, & omnino æquales, quam defendis cap. 5. Et altera; Primatus dignitatis, & præeminentiæ Petro eſt concedendus, quam tradis cap. 5. nu. 3. Alteram quoque contradictionem proſequamur, quam iiſdem capitibus 3. & 5. exeris. In priori námque conſtanter doces omnimodam paritatem, & æqualitatem inter Apoſtolos fuiſſe: In poſteriori ita ſcribis. *Certè inæqualitas aliqua inter Apoſtolos, & maioritas quodammodo, & minoritas, interdum obſeruata reperitur.* Tertiam quoque contradictionem vrgeo ex iiſdem capitibus expromptam. Priùs enim dixeras Petrum neque principem, neque caput Apoſtolorum nuncupandum eſſe; vide quæ ſcribis num. 30. 3. capitis vbi id apertè affirmas. Audi quomodo id poſtea recantes ca. 5. num. 5. *Petrus itaque* (inquis) *primus eſt, & Princeps, & caput ante confeſſionem.* Quartam denique moueo, quæ ex 2. & 3. c. ſeſe offert. Nam in 2. cap. nu. 20. his verbis vteris: *Apoſtolis nihil datum, nihil commiſſum, niſi purum miniſterium*

niſterium fidei Chriſti per Euangelij prædicationem miniſterialiter, & non poteſtatiuè propagandæ. In 3. verò num. 31. Quod priùs dixeras, euertis, ita ſcribens. *Præuentione non ordinaria gratiæ Chriſtus immediatè conceſſit Apoſtolis poteſtatem Ordinis, & Iuriſdictionis pleniſſimam*; & fusè li.2.c.3. Vbi Epiſcopis ex Apoſtolica ſucceſſione in Presbyteros Iuriſdictionis poteſtatē tribuis; & c.5. vbi Iuriſdictionis poteſtatē à Chriſto Apoſtolis collatā affirmas.

Plures ex hoc tuo 1. libro contradictiones, nouitates, errores erumpentes proſequi poſſem, quæ in 2. parte fuſiùs à nobis aperientur. Venio ad 2. librum.

Prima nouitas eſt, quæ errorem, ſcandalum, ſchiſma, ac mendacium parit, cùm ais, cap. 1. In Epiſcopis eandem omnino, ac pleniſſimam eſſe poteſtatem, quæ fuit in Petro, ac proinde Petro ſuccedere. Quam reprobant omnes antiqui Patres, & Concilia. Ac in primis Conciliū Nicænū 1. can. 39 Arabi. Vbi ſolum Romanū Pōtificem docet Petro in plenitudine poteſtatis ſuccedere: & ſicut Petrum, omniū Epiſcoporū, ac Patriarcharum caput, & principem eſſe. Id confirmant Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorum, Thebaidorū, & Lybiorū Epiſcopi ep. ad Fœlicē 2. Papā, Patres Concilij Sardicenſis c. 4. & 7.

eiuſdem Conc. Concilium Conſtantinopolitanum 1.can.3. Synodus Epheſina epiſt. ad Cœleſtinum Papam, Concilium Chalcedonenſe actione 16. Cyprianus epiſt. 55. Ambroſius epiſt. 81. ad Siricium, Optatus lib. 2. adu. Parmenianum; Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum, Auguſtinus contra Iulianum, Pelag. lib. 1. cap. 4. Concilium Mileuitanum epiſt. ad Innoc. Petrus Chryſol. epiſt. ad Euthychem.

Nouitas eſt & quidem hæretica, erronea, ſcandaloſa, mendax, quam doces cap. 4. per totum, Ordinem non eſſe verum nouæ legis Sacramentum, quæ antiquis Patribus eſt inuiſa: antiquũ enim fuiſſe Eccleſiæ dogma, Ordinem inter Sacramenta collocari; probant Clemẽs Rom. Conſt. Apoſt. lib. 3. c. 10 & lib. 8. c. 46. Dionyſius Eccl. Hierarch. c. 5. Concilium Ancyranum c. 13. Baſilius in Anaphora Syriaca, Gregorius Nazianzenus orat. 21. Alter Nycænus orat. de S. Baptiſm. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, Cypr. de cardinalibus Chriſti operibus cap. de ablut. ped. vbi Ordinem Sacramentum appellat, Ambroſius de dignit. ſacerd. c. 4. Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmen. vbi apertè de Ordine, velut de Sacramento agit, idem aſſerit de bono coniug. cap. 24. & lib. 1. de

Baptiſ.

Baptiſ.contra Donatiſt.Leo mag.ep. 81.ad Dioſcorum Alex.c.1.Greg. magnus ad c.10. lib.1. Reg.—

Nouitatem,errorem,ſcandalum, ſchiſma, ac mendacium ſapiunt;quæ ſcribis c.7. Epiſcoporum poteſtatem diuino iure non certis locis arctatam:ſed vbique per totam Eccleſiam eſſe diffuſam, cùm iis vbique ſacræ Scripturæ,Concilia antiqua, ac Patres reluctentur.Nam Apoſtolus Titum Cretæ,non vniuerſalis Eccleſiæ conſtituit Epiſcopum: Timotheū Epheſi. Aduerſantur verò Clemens Rom.Can.Ap.36.Conc. Nicænum 1. Can.4.& c.39. Arabico, Conc. Sardicenſe. Can.6.Conc.Antiochenum c.6.Conc. Eph. ep.ad ſacram in Pamphylia Synodum,Con. Trullenſe Can.20. Anacletus ep.3. Anterus ep.de mutatione Epiſcoporum, Greg. Nazianz.orat.20.quæ eſt in laudem Baſilij, Cyprian.ep.27.Sixtus 2.ep.2.c.3.Iulius 1.ep.ad Orientales Epiſcopos,Leo 1.ep.84.ad Anaſtaſium c. 11. Iſidorus lib. 7.originum c. 12. Conc.Cabilonenſe c.4.

Paul. ad Tit.1.

Nouitium,erroneū,ſcādaloſum,ac mendacij plenū eſt,quod dicis c.12.nu.6. Monachorum ſiue à Chriſto,ſiue ab Apoſtolis, ſiue ab Eccleſia nullā eſſe prorſus inſtitutionem: quod iure meritoq; Scripturæ, atque

antiqui Patres cõmunibus calculis damnãt. Ex Scripturis Luc. 1. Matt. 16. Act. 2. 4. & 5. Ex Apoſtolis, Iacobus in liturgia. Ex Patrib. Dionyſius Areopag. Eccleſ. Hierar. c. 6. Baſil. ſerm. cõmonitorio ad complexũ mona- 31
ſtici propoſiti, Gregor. Naziãz. orat. 20. Ioan. Caſſianus collat. 18. c. 5. Ambr. ep. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem, Syricius ep. ad Hymerium c. 13. Hieron. ep. 17. ad Marcellam c. 6. & lib. 2. commẽt. in c. 3. lament. Auguſt. in Pſal. 137. & lib. de moribus Eccleſ. Cat. c. 31. Clemẽs Alex. lib. 2. pædag. c. 3. Athanaſ. in vita D. Antonij, Cyprian. lib. de lapſis, & alij permulti. Ex Concilijs Conc. Nicænum 1. Can. 76. Arabico, Chartaginenſe 4. c. 11. Agathenſe c. 19. 27. & 28. Aurelianenſe 1. c. 23. Aurelianenſe 5. Can. 19. Matiſconenſe 1. cap. 19. Toletanum 4. cap. 48. & 49. Anglicanum apud Bedam, Hiſtor. Anglicanæ libr. 4. cap. 5. Nicænum 2. Can. 20. Trullenſe Can. 40. 41. & 43. Cæteros errores alibi examinandos omitto.

Venio ad contradictiones, quas plurimas in hoc capite 12. exeris: reliquas enim prætermitto. Prima contradictio eſt; cùm conceptis verbis affirmas, numer. 1. Monachos inter meros, ac puros laicos eſſe reponendos: nec in vllo gradu, nec infimo

quidem virorum Eccleſiaſticorũ collocandos eſſe. Contrarium verò aſſeris nu. 15. his verbis. *Si tamen Monachi ſtatum aliquem in Eccleſia faciunt, à laicis diuerſum: is profectò erit propter publicam, quam emittunt profeſſionem, & votum ſolemne.*

Secundam contradictionem prodis: cùm núm. 6. ita ſcribis. *Interim tamen nullam cernimus Monachorum publicam ſiue à Chriſto, ſiue ab Apoſtolis, aut ab Eccleſia inſtitutionem:* & tamen antea nu. 2. laudaueras Hieronymum, quòd Apoſtolos Monachorum patres, ac inſtitutores fuiſſe doceat. Hæc tua verba ſunt. *Hinc eſt, quòd inſtitutum Monaſticum meritò Hieronymus Apoſtolos ſignificet Patres, ac inſtitutores habuiſſe.* Quod etiam paulò inferiùs affirmas ex Bernardo, & Concil. Meldenſi: ex quibus prior, Apoſtolos monaſtici ordinis inſtitutores appellat: poſterior eundem ordinem ab Apoſtolis originem traxiſſe docet? Tertiò quoque id confirmas ex Philonis Iudæi teſtimonio, qui Monachorũ inſtitutum ſub Marco Euangeliſta maximè illuſtratum recenſet: Atque hæc quidem id efficiunt, vt te apud omnes non leuiter, ſed conſtanter inconſtantem declarent.

Tertiæ contradictionis auctor es: Cùm

Monachos nullam ab Eccleſia publicam inſtitutionem vnquam habuiſſe narras, num. eodem. Quod tamen damnas, num 36. dum fateris ſolemnitatem votorum monaſticorum, à ſola Eccleſiæ inſtitutione pendere. *Sit* (inquis) *Eccleſiaſtica hæc inſtitutio, quæ eſt priuata Monachorum.*

Quartam contradictionem explicas, nu. 18. cùm ais. *Qui deliberata voluntate plenè elegerit vitam viuere monachalem; iſte coram Deo ſtatim fit profeſſus: quamuis non dicat, voueo, promitto: hîc verè, & propriè adeſt votum: qui ab hac electione reſilit, is meritò voti facti, & non redditi reus iudicatur.* Id è veſtigio recantas, nu. 19. in hæc verba. *Non ſine magna æquitate mihi facilè perſuadeo: ex ſola interna deliberatione, & pleniſſima etiam electione votum, quod de ſe iam plenum, & perfectum eſſe deberet, pro pleno, ac perfecto à Deo nondum haberi: ſed quamdiu internum eſt, propoſiti potiùs, quàm voti rationem habere; neque tale votum à Deo pro pleno voto acceptari, niſi id actu, & opere externo compleatur.*

Quinta contradictione te ipſum iugulas, cùm num. 2. monachalem vitã, ex Apoſtolica vita depromptam affirmas: monaſticum quoque ordinem ex Bernado ita commendas, vt nullũ in terra ſimiliorem Angelicis ordinibus: nullum viciniorem ei, quę in

cœlis

cœlis eſt Hieruſalem mater noſtra: ſiue ob decorẽ caſtitatis, ſiue propter charitatis ardorem, prædices. Poſtea verò, num. 71. velut vertiginis ſpiritu correptus, monaſticam vitam lacerans, in hæc verba irrũpis. *Ceſſent igitur noſtri Regulares ſtatum monachalẽ vocare ſtatum perfectionis, agnoſcantq́ eum ad perfectionẽ nequaquam tendere.* Cũ paulò ante, nu. 70. dixiſſes vitam priuatam, & abſtractam monachalem, hominem imperfectionib. plenum tutò obtegere, vbi occaſiones nullæ ſuppetunt in dedecentia erumpendi. Reliquas contradictiones non perſequor.

Quot præterea nouitias doctrinas, errores, mendacia in 3. lib. accumules; cũ de Epiſcoporũ electione, de iure Metropolitanorum, de tranſlationib. Epiſcoporum, de poteſtate Metropolitanorum in ſuffraganeos Epiſcopos, de origine Patriarcharũ, ac Primatũ, de collatione pallij, ac præſertim cũ de hodierna Eccleſiaſticæ Hierarchiæ perturbatione per Romanos Põtifices agitata agis? Quot etiam in 4. libr. nouos errores congeras, vbi de Rom. Eccleſia, de Papa, de Cardinalibus, de Romana Monarchia diſputas? vbi tot fere nouitia mẽdacia conſarcinas, quot verba, aut ſentẽtias profers. (Reliquos enim ſex libros nondũ vidi, nec meliores mihi ſperare

licet:)quoniam nimis prolixum foret,atque inſtitutę breuitatis metas excederet,vniuerſa hæc perſtringere : ea vſque ad poſteriores noſtræ parænefis partes, fusè, Deo bene iuuante,proſequenda differimus. Ex his tamē perſpicuum ſit;iniquū,nedum cōmentitium hoc tui Conſilij caput eſſe; quod de nouis dogmatib.à Rom.Eccleſia fabrefactis cōfingis;ex quo illud inferre neceſſe ſit:iniquam quoque, ac nefariam eſſe hanc tuam à S. R. E. defectionem.

OCTAVVM CAPVT CONSILII.

Necis imminentis periculum.

QVid de hoc tui Cōſilij capite nobis ſentiendū ſit, quod priùs præclaris nominibus blaſphemię ornas:cùm Catholicā Eccleſiam;nationē prauam, atque peruerſam, his verbis appellas *Quid ergo facerem in medio nationis praua,atque peruerſæ; ſi Eccleſiam meam regere (vt par erat) iuxta veterē Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam?Si doctrinam veram, Catholicam & docere, & exercere voluiſſem, grauiſsimas in capût meum procellas Romanas fœdiſsimaſq; tempeſtates acceleraſſem;contra quem iamdiu odium conceptum Romæ fouebatur, quæ meos in, ſcribendo aduerſus ipſius ſenſa labores ſubolfecerat: Nam & per Nuncium Apoſtolicū Venetiis cōmorantem*

rantem non ſemel monitus hac de re, & corruptus fui. Docet Epiphanius eleganti ſimilitudi-ne, cuius verba tibi referre lubet. *Inuenimus*, inquit, *apud natura rerum doctos, Phyſiologos appellatos: imò potius nos ipſi videmus, quòd Cantharorum, hoc eſt ſcarabeorum genus, quod à quibuſdam pilularium vocatur, conſuetudinem habet; vt in fætore, ac ſtercore volutetur, & hoc eſt ipſorum alimentum, & opera: & aliis quidem idem ſtercus graueolens, & abominabile eſt. Apibus autem hoc ſtercus, & graueolentia mors eſt, & ſcarabeorum quidem opera, ac tractatio eſt graueolentia: apibus autem eſt vice verſa bonus odor, & flores, & vnguenta in refrigerationem, recreationémque, ac cibum, & in operam, & tractationem: Verùm ſcarabeis prædictis talia contraria. Cuius rei ſi quis experimentum facere velit: de vnguento ſucci balſami, aut nardi ſumat, & ſcarabeis afferat, & mortem illis inducet, velut Phyſici teſtantur: Statim enim moriuntur, non ferentes bonum odorem. Sic etiam hi Hæretici ſcortationem, ac vitia appetentes, in malo ſpem ſuam habent: vbi verò ſacto lauacro, ac bono odori appropinquarint, moriuntur: in Deum maledicta effundentes, & ipſius Eccleſiam, ac dominationem reprobantes.* Epiphan. hær. 40. cont. Archont.

Certè perieras, M. Antoni, niſi ex Romana natione, fuga te ipſum ſubtraxiſſes:

nã cùm Scarabei inſtar, nihil te præter graueolens, ac ſtercorea Hæreticorum doctrina delectaret, (alia enim vitia non attingo) hancque ſedulò in animo volutares; in eaque mentis tuæ alimentum quæreres: adeòque Romanæ Eccleſiæ, velut diuinæ cuiuſdam apis, fragrantis veritatis flores, ac bonus fidelis doctrinæ odor te offenderet; vt tibi eſſet odor mortis ad mortem. Quid melius tuæ incolumitati conſultum erat, quàm vt à Romana natione, quæ tibi Scarabeo praua, atque mortifera erat, fugam arriperes? Si Eccleſiã tuam, non vt Scarabeus, ſed vt apis regere voluiſſes, ac fœtidas, ac ſtercoreas Sectariorum doctrinas deteſtatus; ſanis ac beneolentibus Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus (vt par erat) quàm maximè delectatus fuiſſes, facilè ex ipſius veritatis odore agnouiſſes veterem Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam, ac veram, & Catholicam doctrinam, non eam eſſe, quæ in Sectariorum ſtercoribus latet: ſed quæ in Romanę Eccleſię hortis germinat. Nec graues illas animi commotiones ſenſiſſes, quæ prauum ac peruerſum animum comitantur: aut vllas Romanas procellas, quæ in factioſos, ac ſeditioſos homines tantùm deſæuiunt, contra te intumeſcere pertimuiſſes,

ſed

ſed tranquillas, pacatasque Romanæ Eccleſiæ vndas ſemper accepiſſes. At verò cùm te ex Ape in Scarabeum degenerantem antiqua & accepta fidei doctrina non contentum, nouitates ſectantem, olida Hæreticorum dogmata pertractantem, pertinaciter à veritate aberrātem animaduertiſſet: quidni immania tua vitia, ac tam cæcam errandi libidinem iuſtis odiis proſequeretur?

At quid eſt, quòd procellas pertimeſcis? Si veritatis aſſertor eras: veritas fortiſſima eſt, ac intrepida, nullis terroribus concutitur: mens, Diuina præſertim veritate armata, inuicta eſt, ac terroris neſcia: degeneres tantùm animos timor alit. Cur immotus inter procellas non conſiſtis? Vbinam ſunt illa Pauli verba, robur Apoſtolicum promittētia, quæ in huius libelli principio iactabas. *Mihi cum Paulo pro minimo eſt, vt ab hominibus iudicer: ſim ſtultus propter Chriſtū, ſim ignobilis, cædar colaphis, maledicar, perſequutiones patiar, blaſphemer, purgamentum mundi, & peripſema, imò & anathema fiam: dummodo Chriſto ſatisfaciam debeo penitus contemnere:* ſi veræ fidei, ac doctrinæ propugnator eras: quid tortores, quid carnifices, quid cruces, quid ignes, quid gladios, quid Romanos vultus reformidabas? Quid tibi

extimeſcendum fuit? Cùm Deum à cœlo
Hier. 1. ſuppetias ferentem, atque illis te Hieremiæ verbis conſolantem audiſſes. *Ne formides à facie eorum: neque enim timere te faciam vultum eorum: ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, vt liberem te.* Cùm veritatem, quaſi adamantino ſcuto, ac lorica te circumdantem, Angelos vndique accurrentes, ac protegentes, Martyres ad certamen animantes habuiſſes. Sed tu pericula, nedum præſentia penè exanimatus horreſcis: non murus æreus, ſed maceria ruens: non columna ferrea, ſed baculus arundineus: non ciuitas munita, ſed tugurium cucumerarij nemine perſequente fugis, ante certamen terga vertis. Quis turpe hoc Conſilium tuum non iudicet? Quo tecum ipſe ita ſtatuiſti. *Satius ergo fuit pennas columbæ aſſumere, & auolare, elongari, fugeréque ad ſolitudines: vbi expectare poſſim, eum, qui me ſaluum faciat à puſillanimitate Spiritus, & tempeſtate: quàm me cæcum voluntarium, cum cæcis in interitum cæcos ducere.*

Falleris, Antoni, non columbæ ad arcam redeuntis: ſed corui ex arca exeuntis pennas
aſſum

aſſumpſiſti: cùm à Catholica Eccleſia auolaſti: nec colombæ tuus volatus fuit, ſed fuga mercenarij. Non ad pœnitentiæ, atque auſteritatis ſolitudines, cùm Baptiſta fugiſti: ſed ad domos Regum, atque aulicas delicias, cum iis qui in domibus Regum ſunt, te ipſum recepiſti. Canis eras ad gregis tui cuſtodiam poſitus; cur gregem deſeruiſti? Cur aduerſus gregem diſpergentes non latraſti? Vide ne canis palearij, potius quàm gregis vocandus ſis, qui niſi in tuto poſitus non latras.

Audio equidem quales modò aduerſus Romanam Eccleſiam, ac Pontificem latratus edis, dum Epiſcopos ſub Romano potentatu æquiuocè, ac ſolo nomine Epiſcopos viles, contemptibiles, oppreſſos, conculcatos appellas. Eccleſiam ſub Romano Pontifice iam non ampliùs Eccleſiam, ſed humanam Rempublicã ſub Papæ Monarchia conſtitutam vocas: vineam ad ſolum Noë inebriandum: gregem, quem Paſtor emungat ad ſanguinem, tundeat, radat, excoriet, & mactet. Hi ſunt tui non Euangelici, ſed cacangelici, ac pſeudoeuangelici canis latratus, de quibus ita ſcribis. *Canem me Chriſtus in ſuo grege poſuit, mutus eſſe ampliùs non debeo.* Qui cum ex canina potius

rabie, quàm ex fideli erga gregis cuſtodiam affectu, ex ipſa rerum experientia profectus agnoſcatur, ridendum potius, aut commiſerandum, quàm vlla ratione aut teſtimonio retundendum eſſet: quandoquidem omnibus exploratum eſt, ſolos Epiſcopos Romano Pontifici ſubiectos, modò integra, ac tota ſua Epiſcopali, ſub Romano Pontifice dignitate frui: neque vlla ex parte ab ea illis eſſe imminutum: qua vel primi illi priorum temporum Epiſcopi ſub aliis Pontificibus, ex Dei dono, vel Eccleſiæ priuilegio potiti ſunt, vel quam de iure ſibi expetere poterant: præſertim cùm in his, quæ ad eorum iuriſdictionem pertinent; tota eorum poteſtas à iure poſitiuo fluat, ac proinde à Pontificis auctoritate pendeat, vt aliàs explicabimus.

At neque Rom. Eccleſia propterea vera Eccleſia eſſe deſiit, aut humanę Reipub. formam induit; quòd in ea Cardinales, Cardinalium congregationes, Legati à latere, Nuncij Apoſtolici, Inquiſitores, Viſitatores ſpeciali aliqua in Eccleſia dignitate fulgeāt, quòd Regularium Ordines ob ſtatus excellentiā ad publicam Eccleſiæ vtilitatem priuilegiis quibuſdam exornentur: tandem quòd Eccleſiaſticis legibus ad guberna-

tionem

nationem vtatur: hoc enim eſt vineam Domini probè excolere, non ea inebriari: hoc eſt gregem rectè paſcere, ac prudenter curare, non ad ſanguinem emungere, tundere, excoriari, mactare: tondet enim, radit, excoriat, mactat; qui gregem ſibi creditum nullo ſtudio, aut labore curat: ſed Lupis diſpergendum relinquit. Sed hæc Romani Paſtoris diligētia nimiùm te malè habebat, qui nemini ſubeſſe, omnibus præeſſe voluiſſes: qui gregem, qui ſuffraganeos Epiſcopos tondere, radere, excoriare, mactare nullo prohibente optaſſes: qui Eccleſiæ tuæ, imò vniuerſalis Eccleſiæ vineam non laborioſè excolere: ſed ſolus ea inebriari magnopere expetiiſſes. Non hęc noſtra conuitia ſunt, ſed veræ propoſitiones legitimè ex tuæ vitæ ratione, ac doctrina hauſtæ.

Hinc non propinquum odium Rom. Eccleſiæ ſed nimis propinqua illius diligentia tibi fugienda fuit; ne ambitioſus, ac vitioſus animus tot inuitis cenſoribus ſubijceretur, ac liberiùs ibi diu optata voluptate frueretur, vbi minora ad ſuas cupiditates explendas vincula experiretur.

Nonvm

NONVM CAPVT CONSILII.

Vox Cœleſtis.

FVturos nouiſſimis temporibus in Eccleſia Pſeudoprophetas, qui falſis diuinæ vocis oraculis homines deludant, ac vanæ pollicitationis ſpe ſeipſos fallant, teſtis eſt Saluator. *Et multi,* inquit, *Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Hos verò non alios, quàm Hæreticos fore diſertè docet Clemens, qui de Hæreticis ita ſcribit. *Hi enim ſunt Pſeudochriſti, Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetæ, ſeductores, & corruptores, partes vulpium, &c.* Hi enim ſunt, vt monet Hieronymus, de quibus ait Deus per Hieremiam, *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Equidem cùm te audio, M. Antoni, poſt illam Agar, & Iſmaelis: carnis, & ſpiritus luctam, quam tibi in hoc capite fingis, hæc de hoc Conſilij tui capite verba promentem. *Sed diuinus Spiritus vehementiori impulſu tandem me vlterius moras nectere non permiſit: ac veluti Abrahamum voce illa efficaci ad ſe vocauit, dicens. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi: fecítque vt celeberrimum illud ſapientum*

Matth. 24.

Clem. l. 6. conſt. Ap. c. 13.

Hieron. lib. 4. in cap. 23. Hierem. cap 23.

tum dictum; ſequere Deum, reipſa exequerer.
Causámque tui diſceſſus ad mentem reuoco, nihil minus, quàm Pſeudoprophetæ vocem, ſibi ipſi mendacium Prophetantem mihi agnóſcere videor. Ita enim mecum ipſe ratiocinor. Tunc ille Abraham de quo Scriptura tam præclarè loquitur, dum ait. *Abraham magnus, Pater multitudinis gentium, & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria, qui conſeruauit legem excelſi, & fuit in teſtamento cum illo. In carne eius ſtare fecit teſtamentum, & in tentatione inuentus eſt fidelis.* *Eccleſiaſt.40.*

Certè Abraham ille magnus virtutibus fuit, vt explicat Ambroſius, ac præſertim fide, vt docet Paulus. Tu cœleſtium virtutum profligator es, & Catholicæ fidei deſertor. Abraham Pater multitudinis Gentium: tu Chriſti ouium diſperſor, ac vaſtator. Abrahæ non eſt inuentus ſimilis in gloria: tibi ſaltem à pluribus annis, non eſt repertus ſimilis Epiſcopus, qui te in apoſtaſiæ crimine, ac ignominia æquaret. Abraham conſeruauit legem excelſi: tu Dei, Eccleſiæque leges Apoſtata contempſiſti. Abraham fuit in teſtamento cum Deo: tu à Dei teſtamento, ac fœdere, quod cum eo in baptiſmo inietas perfidus reſiliſti. Abraham in carne ſua ſtare fecit teſtamentum Dei: tu *Ambr. l. 1. de Abr. cap. 2.* *Hebr. 11.*

fidei

fidei cum Deo, & Eccleſia initum fœdus non ſolùm Spiritu Hæreticus violaſti; ſed etiam carne, trāſfuga confregiſti. Abraham in tentatione inuentus eſt fidelis: tu in diaboli tentatione, qua te ad fidei deliquium prouocabat, inuentus es reprobus.

Cùm igitur ab Abraham non tam nomine, quàm vitæ probitate, ac morum ſanctimonia, quàm longiſſimè diſtes. Quid eſt, quòd Diuinam illam Abrahæ à cœlo delatam vocem temere tibi vſurpas? Fallit te ſpiritus mendax, M. Antoni, Non ad te illa Dei vox pertinet:neque enim Abraham es;ſed Pſeudo-Abraham:non bonus, ac ſanctus Abraham;ſed Caco-Abraham,Babylonicæ turbæ pater, Hæreticorum fautor, nouæ hæreſis, ac ſuperſtitionis parens. Abraham enim idcircò de Gentilium, ac Infidelium terra egreſſus eſt, vt Dei Eccleſiam ædificaret. Quid tu? De Eccleſia egrederis, vt eam regionem inhabites, quæ Catholica fide expulſa, parum à Gentilium infidelitate diſtat. Fruſtra te ipſum hac ſpe ſolaris: futurum te ibi aliquādo in Gentem magnam, in Principem populi, in Patrem multitudinis: te enim clàm Iacob maledictio percutit; ita vt Ruben nomine in M. Antonium mutato, de te illa Dei vox pronunciari

poſſit.

poſſit. *M. Antonius primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio; effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Gen. 49. Nemo ignorat te inter Eccleſiæ primogenitos honore, ac dignitate præſtantes aliquando enumeratũ fuiſſe, cùm Primatis, ac Metropolitæ ab ea præcipuo honore cohoneſtatus eſſes. Cùm verò Eccleſia per Paſtores ſubſiſtat, tu ſanè ipſius olim fortitudo fuiſti: cùm inter illius columnas, quibus ea fulcitur, & tu columna eſſes. Quid plura? Tu *prior in donis*: cùm te ſingulari munere ad Epiſcopatum vocauit: tu *maior in imperio*: cùm ad duorum Regnorum Dalmatiæ, & Croatiæ Metropolim euexit. Annon hæc præclara Dei beneficia erant, quæ olim in te contulit? At quid tu? Diuinorũ beneficiorũ immemor, primus inter Primates hac noſtra tempeſtate ad id ſcelus perueniſti, vt velut *principiũ doloris Dei*, Deũ ſimul & Eccleſiam deſerueris, ac Dei maieſtatem nulli dolori obnoxiã, ſi fieri poſſet, ad dolorem coëgeris, atque eo cõpuleris; vt quaſi dolore cordis tacta intrinſecùs ipſam pœnituerit, quòd te in Epiſcopũ ſuper gregẽ ſuum vnxerit? Tu *velut aqua*, incõſtantiæ idea, in fide inſtabilis,

volubilis, aëre, vento, arundine leuior in errores, in hæreſes, in apoſtaſiam, in turpem fugam *effuſus es.* Audi iam Diuinæ maledictionis fulmen. *Non creſcas*, nō proficias, non fias in gentem magnam: ſed potiùs dilabaris, fluas, deficias, conſumaris, donec ad nihilum redactus, vel errorem agnoſcas, vel errorum pœnas luas, hæc enim Hæreticis, & Schiſmaticis è cœlo lex ſancita eſt, vt nequaquam diu creſcant, vt tradit Cyprianus, *Neſcitis Schiſmaticos ſemper inter initia ſua, incrementa habere non poſſe, nec augeri; quòd illicitè cœperint: ſed ſtatim cum praua ſua æmulatione deficere.* Ea verò huius maledictionis cauſa eſt, quia *aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius*: quia pudicam, & incorruptam Eccleſiam, Chriſti ſponſam non ſolùm hæreſum adulterio polluiſti: ſed etiam adulteram proclamaſti.

Cyprian. lib. 4. ep. 4.

Vides itaque nec te Abraham eſſe, neque Diuinam hanc vocem Abrahæ è cœlo allatam vlla ratione ad te ſpectare. Quid igitur? Annon iure meritóque te Pſeudoprophetam appellare licebit, qui falsò tibi diuinas voces arripias, ac Dei verba ſuffureris, quibus teipſum fallas, ac ſedu-

eas? Satius erit, vt diuinas illas tibi potiùs delapſas voces arbitreris, quas apud Hieremiam legis, quibus Deus falſos Prophetas, quos tu egregiè imitaris, his verbis increpat. *Et dixit Dominus ad me: falſi Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant.* *Hierem. 14.*

Quòd ſi vrgeas importunè, te hac voce, vehementiori ſpiritu impulſum fuiſſe ad fugam capeſcendam. Aſſentiar ſanè: ſed vide ne à malo, ac Tartareo potiùs, quàm à Diuino Spiritu, hæc tibi vox profecta fuerit. Neque enim tenebrarum principi nouum eſt, non modo Angeli lucis: ſed etiam ipſius lucis Principis formam induere, ac Diuinas ſibi Scripturarum voces vſurpare. Ita Saluatori perſuadere voluit ex Scripturis, vt ſe deorſum mitteret. *Luc. 4.* Eadem profectò, & eiuſdem Spiritus vox, quæ Chriſtum ad caſum prouocauit, te quoque ad apoſtaſiam compulit. Si par eſt Vincentio Lirinenſi antiquiſſimo Patri credere ita ſcribenti. *Sed quid tandem dicit. Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum: hoc eſt, filius eſſe vis Dei, & hæreditatem* *Vinc. Lirin. adu. hær. c. 35.*

regni cæleſtis accipere, mitte te deorſum: id eſt ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina, & traditione demitte. At ſi quis interroget quempiam Hæreticorum, ſibi talia perſuadentem: vnde probas? Vnde doces quòd Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalem, & antiquam fidem dimittere debeas? Statim ille: Scriptum eſt enim. Et continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus nouo, & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſeos baratrum infœlix anima præcipitetur. Hactenus Lirinenſis. At tibi, non mille, ſed vnicum illud Scripturæ teſtimonium, ab eodem Scripturarum corruptore prolatum, apoſtaſiam ſuaſit. *Egredere de terra tua*, &c. quò fit, vt cùm diabolo egreſſum à Romana, ac Catholica Eccleſiâ tibi ſuadenti obtemperaueris: non Deum, vt fidelis Abraham; ſed diabolum, vt Eccleſiæ deſertor ſequutus fueris. Neque te ſolari debet Ambroſius, qui veri Abrahæ, non Pſeudo-Abrahæ obedietiam commendat.

Verùm illud tibi cauendum moneo, ne dum famæ, atque exiſtimationi tuæ à Deo etiam inter barbarorum manus vis eſſe conſultum: exiſtimationem tuam apud

Anglos,

Anglos, quos barbaros vocas, quàm maximè minuas: ne forrè ij communem illis illatam iniuriam vitæ tuæ incommodo propulſandam velint.

Decimvm Capvt Consilii.

Charitas Chriſti.

VRges pro decimo tui Conſilij capite, M. Antoni, charitatem Chriſti; à qua te ad hanc Anglicam profectionem impulſum, his verbis prædicas. *Charitas tamē Chriſti ſuper omnia vrget me. Vilis eſſem, & abiecti animi, ſi ad quietem ſolam fugerem, vt poſtpoſito legitimo certamine, otio alicubi torpeam, & marceſcam. De Chriſti cauſa agitur, ea me ad ſe vocat, Audio vocem illam in auribus mihi perpetuò intonantem, clama, monentemq́, quò clamor meus cum illorum clamoribus coniunctus, quorum non ſunt incuruata genua ante Baal, melius exaudiatur.* Crederē M. Antoni, quòd charitas Chriſti te vrgeret, ſi in Angliam ad diſſeminandum Chriſti Euangelium, à quo illa nuper prolapſa eſt, ad Catholicam fidē ibi inſtaurandā, ad Britānicos illos populos ab errore reuocandos profectus fuiſſes: Si vt nobiliſſimas inſulas, à Chriſti ſinu nō pridem raptas

Rom. 8. Chriſto, atque Eccleſiæ reddas, Apoſtolica Pauli charitate flagrãs inter vincula, & carceres: inter ignes, & gladios: inter venena, & pugiones Chriſtum, ac Catholicam veritatem prædicares: neque te quippiã à Chriſti charitate ſeparare poſſet non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſecutio, non gladius: ſed propter Chriſtũ tota die mortificatus, æſtimatus eſſes, ſicut ouis occiſionis: hæc enim præclara ſunt Diuinæ charitatis teſtimonia, quæ Paulus commendat.

Sed cùm hac tua profectione, à Chriſto, & ab Eccleſia diſcedas, à quibus perfecta charitas, velut è gemino fonte oritur, ac genus ſuum ducit: Eccleſiæq; veritatem, quæ Chriſti tunica inconſutilis eſt, ſcindas, ſine qua vera charitas eſſe non poteſt: quo pacto te Chriſti charitate ad hoc Conſilium vrgeri exiſtimas? Audi quid Cyprianus de hoc tui Cõſilij capite diſſerat. *Vnitatem ſimul & dilectionem Chriſtus magiſterio ſuo docuit: Prophetas omnes, & legem præceptis duobus incluſit: quam verò vnitatem ſeruat, quam dilectionem cuſtodit, aut cogitat, qui diſcordiæ furore veſano Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, Sacramentũ profanat?*

Cypr. de vnit. Eccl.

Sed Chriſti cauſam te agere clamas, quis credat?

credat? Clamorem quidem, ac clamoroſas voces tuas percipimus, quibus te vocem illam (Deíne, an dæmonis ſit, non explicas) tibi in auribus intonantem audire ſimulas. *Clama.* At nihil præter clamorem percipimus, Chriſti cauſa longè à clamore tuo exulat. Quî enim fieri poteſt, vt pro Chriſto clames, aut cum Chriſto ſtes, qui cum Eccleſia non colligis, ſed potiùs Eccleſiam diſpergis. Non aliis, quàm Cypriani verbis, impietatem tuam vrgeo. *An eſſe*, inquit, *cum Chriſto tibi videtur, qui aduerſus Sacerdotes Chriſti fuit? Qui ſe à cleri eius, ac plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat; hoſtis altaris, aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus; contemptis Epiſcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere: Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare, nec dignatur ſcire quoniam qui contra Dei ordinationem nititur, ob temeritatis audaciam Diuina animaduerſione punitur.*

Vide M. Antoni, ne dum Chriſti cauſam te agere putas, totus in Antichriſti cauſa tuenda labores. Multos Antichriſtus ſui re-

gni præcurſores habet, quos etiā Antichri-
Auguſt. tract. 3. in ep. Ioann. ſtos appellare licet. *Omnes certè* (ait Auguſt.) *qui exeunt de Eccleſia, & ab vnitate Eccleſiæ præciduntur, Antichriſti ſunt, nemo dubitat.* Et
Chryſ. in exp. pſ. 9. Chryſoſt. *Antichriſti*, inquit, *dicuntur Hæretici, quia in vno nomine Chriſti, non eis placet ſimplicitas Catholicæ Eccleſiæ.* Neque aliud Antichriſtianiſmus eſt, quàm falſa doctrina Chriſto contraria. Itaque dum falſam Hæreticorum doctrinam Chriſtianæ ac Catholicæ fidei contrariam tueris, quid aliud præterquam Antichriſti cauſam agis, atq; Antichriſtianiſmum tuo patrocinio foues?

Dicis te à voce illa clamoris admonitum fuiſſe, vt clamorem tuum, cum illorum clamoribus coniungeres, quorum non ſunt incuruata genua ante Baal, credo equidem, ſimile enim appetit ſibi ſimile. Quos clamoroſus, niſi clamoroſos quæreret? Vox illa te ad clamoroſos relegauit? Bene eſt: omnia enim apud Hæreticos clamoribus ſunt plena. An ignoras, quid de vinea Hæreticorum
Iſai. c. 5. pronunciet Iſai. *Expectaui*, inquit, *vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; Iuſtitiam, & ecce clamor.* Babylonis ille clamor eſt, de quo Hiere.
Hiere. c. 51. *Vox clamoris de Babylone.* Tantus profectò inter Babylonicos Religioniſtas doctrinarum clamor eſt: vt alij alios non audiant: alij

alios

alios damnent: alij aduerſus alios clament, & vſque ad rauim vociferentur. Neque id immeritò, nam cùm non idem ſapiant, neque idem ſentiant: ſed quiſque, quod proprij ſpiritus impetus miniſtrat, id clamet: inde ille conciſus, ac confuſus inter ſectas clamor erumpit, ad quem te vox illa compellit; vt tuum quoque inter eas clamorem edas. Neque eſt, quòd tibi perſuadeas te cum iis clamare, quorum non ſunt curuata genua ante Baal: Id enim facilè crederem, niſi oppoſitum doceret Hieronymus ita de Hæreticis ſcribens. *Quomodo autem decipiant Hæretici amatores ſuos, & componantur eloquij vetuſtate, ſtructuráque verborum, vt mendacia ſimulent, veritatem derelinquant, & incendant Baalim, id eſt idolis, quæ de ſuo corde ſinxerunt, quotidie cernimus.* Quidni igitur eam vocem ſequaris: ac nouis ibi errorum clamoribus obſtrepas: vbi errorum Hydra non ſeptena tantùm: ſed decies ſeptena ad Catholicam veritatem deuorandam capita effert? Cùm verò clamores tuos audiet Eccleſia, facilè animaduertet eos non Euangelici canis latratus: ſed inſidiantis, ac ſæuientis lupi eſſe vlulatus.

Hieron. in Oſ. c. 2.

Iam verò nonnullos vlulatus audio. *Epiſcopus ſum*, inquis, *in Eccleſia Chriſti.* En

gni præcurſores habet, quos etiã Antichriſtos appellare licet. *Omnes certè* (ait Auguſt.) *qui exeunt de Eccleſia, & ab vnitate Eccleſiæ præciduntur, Antichriſti ſunt, nemo dubitat.* Et Chryſoſt. *Antichriſti*, inquit, *dicuntur Hæretici, quia in vno nomine Chriſti, non eis placet ſimplicitas Catholicæ Eccleſiæ.* Neque aliud Antichriſtianiſmus eſt, quàm falſa doctrina Chriſto contraria. Itaque dum falſam Hæreticorum doctrinam Chriſtianæ ac Catholicæ fidei contrariam tueris, quid aliud præterquam Antichriſti cauſam agis, atq; Antichriſtianiſmum tuo patrocinio foues?

Auguſt. tract. 3. in ep. Ioann.

Chryſ. in exp. pſ. 9.

Dicis te à voce illa clamoris admonitum fuiſſe, vt clamorem tuum, cum illorum clamoribus coniungeres, quorum non ſunt incuruata genua ante Baal, credo equidem, ſimile enim appetit ſibi ſimile. Quos clamoroſus, niſi clamoroſos quæreret? Vox illa te ad clamoroſos relegauit? Bene eſt: omnia enim apud Hæreticos clamoribus ſunt plena. An ignoras, quid de vinea Hæreticorum pronunciet Iſai. *Expectaui*, inquit, *vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; Iuſtitiam, & ecce clamor.* Babylonis ille clamor eſt, de quo Hiere. *Vox clamoris de Babylone.* Tantus profectò inter Babylonicos Religioniſtas doctrinarum clamor eſt: vt alij alios non audiant: alij

Iſai. c. 5.

Hiere. c. 51.

alios

alios damnent: alij aduerſus alios clament, & vſque ad rauim vociferentur. Neque id immeritò, nam cùm non idem ſapiant, neque idem ſentiant: ſed quiſque, quod proprij ſpiritus impetus miniſtrat, id clamet: inde ille conciſus, ac confuſus inter ſectas clamor erumpit, ad quem te vox illa compellit; vt tuum quoque inter eas clamorem edas. Neque eſt, quòd tibi perſuadeas te cum iis clamare, quorum non ſunt curuata genua ante Baal: Id enim facilè crederem, niſi oppoſitum doceret Hieronymus ita de Hæreticis ſcribens. *Quomodo autem decipiant Hæretici amatores ſuos, & componantur eloquij vetuſtate, ſtructuráque verborum, vt mendacia ſimulent, veritatem derelinquant, & incendant Baalim, id eſt idolis, quæ de ſuo corde finxerunt, quotidie cernimus.* Quidni igitur eam vocem ſequaris: ac nouis ibi errorum clamoribus obſtrepas: vbi errorum Hydra non ſeptena tantùm: ſed decies ſeptena ad Catholicam veritatem deuorandam capita effert? Cùm verò clamores tuos audiet Eccleſia, facilè animaduertet eos non Euangelici canis latratus: ſed inſidiantis, ac ſæuientis lupi eſſe vlulatus.

Hieron. in Oſe. 2.

Iam verò nonnullos vlulatus audio. *Epiſcopus ſum*, inquis, *in Eccleſia Chriſti.* En

primus vlulatus. Non Epiſcopus es in Eccleſia Chriſti: ſed Apoſtata es extra Eccleſiam Chriſti: id fuga, id liber, id vox tua non obſcurè indicant. Addis deinde. *Epiſcopo porrò cuique ita tradita eſt Eccleſia ſua particularis, vt tamen nouerit Eccleſiam quoque vniuerſalem, vbi opus ſit, ſibi eſſe à Chriſto commendatam.* Hic ſecundus non omnium, ſed tuus ſingularis vlulatus eſt. Multùm erigeris, M. Antoni, nimiùm tumidus es, honoris gradum, quem tibi ſperare non licet, ſuperba ambitione tibi vſurpare ſtudes; denique nullus tibi eſſe videris, niſi omnibus præſis.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auræ ſacra fames?

Epiſcopus non orbis, ſed vrbis Epiſcopus eſt, Titus Cretæ, Timotheus Epheſi; non in tota Eccleſia Epiſcopatum geſſerunt. Iubentur Paſtores ſinguli ex Principis Apoſtolorum præcepto; eum qui apud eos eſt, gregē paſcere, non qui apud alios Paſtores. Rex non in alieno, ſed in proprio tantūmodo regno imperat. Meſſor in propriá, nō in aliorū meſsē falcem immittit. Quiſque Epiſcoporum creditum ſibi gregem habet, quem ita curandum ſuſcepit, vt nullum in alterius gregem ius curationis ſibi vſurpare valeat.

1. Petr. 5.

Id lex

Id lex Diuina, id Concilia, id Eccleſiaſtici canones iubent.

Auges vlulatum. *Nobis omnibus Epiſcopis* (ais) *à Paulo dicitur. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Optimè quidem Apoſtolicam vocem agnoſco; quæ te non Epiſcopum, ſed mercenarium fugientem, ac gregis deſertorem eſſe coarguit. Sed quid ex ea tibi vſurpas? Fortè vniuerſalitatem Epiſcopatus: ex eo quòd Apoſtolus ait. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi.* Nihil minus profectò. Quid enim Apoſtolus his verbis ab Epiſcopis exigat, obuius ſenſus, ac poſtrema verba indicant: non vniuerſalis Eccleſiæ regimen cuilibet Epiſcopo à Spiritu ſancto collatum docet: ſed cuique vniuerſi tantùm gregis ſibi crediti curam mandat. Neque enim ait Apoſtolus. Attendite vobis, & vniuerſali Eccleſiæ, ſeu vniuerſo gregi abſolutè, ac ſimpliciter: ſed vniuerſo illi gregi, in quo illos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos. Iubet Apoſtolus, vt Epiſcopus totam, non partem rantummodo gregis curet, ne qua ouis infirma ſine curatione ſit, néve aliquã errãtem reducat, aliam in errore perire ſinat: hanc diligat, illam cõtemnat: hunc ſenſum paſſim tradunt ſancti Patres.

Idque

Idque magis confirmant verba Apoſtoli, cùm ait, *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Cùm enim exploratum ſit, Epiſcopos ab Eccleſia eligi, ac ſingulis Eccleſiis præfici, hinc duo neceſſariò colligimus. Primum, Eccleſiæ poteſtatem, qua Epiſcopos eligit, conſecrat, ac in ſuis ſedibus collocat, à Deo ipſo manare: ita vt non alia in Epiſcopis eligendis ſit Dei, & Eccleſiæ poteſtas, ſed eadem prorſus cœleſtis, ac Diuina. Alterum, electis Epiſcopis nihil amplius à Deo conferri, quàm quod ij per manus Eccleſiæ accipiunt: cùm Eccleſia ſit Diuinæ poteſtatis depoſitaria, ac interpres. Cùm verò certum ſit Eccleſiam non vniuerſalis Eccleſiæ regimen: ſed tantùm propriæ, ac particularis cuique Epiſcopo gubernationem committere, inde apertiſſimum eſt, ex hoc Pauli teſtimonio, non aliam cuique Epiſcopo, quàm propriam, ac particularem Eccleſiam commendari. Vides M. Antoni, qui Paulum tecum vlulare cupiebas, ab eo vlulatum tuum comprimi.

Sed adhuc vlulatus auges: ſacras Pontificum, ac Patrum voces tuis vlulatibus fruſtra aſſociare contendis. *Eleutheri nomine* (ais) *antiquiſsimi Pontificis Romani ad*

Epiſco

Epiſcopos illa verba circumferuntur. Huius rei gratia, vniuerſa is vobis à Chriſto Ieſu commiſſa eſt Eccleſia; vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negli atis. Et Cyprianus epiſtol. 13. libr. 3. ſe pariter cum Stephano Epiſcopo Romano gubernandæ Eccleſiæ libram tenere aſſerit, illudque addit. Copioſum corpus eſt Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque vnitatis vinculo copulatum; vt ſi quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare, & vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri. Eleutherij ac Cypriani quidem voces agnoſco; at eos (vt Petis) tecum vlulare minimè aſſentior. Quòd ad Eleutherium ſpectat: priùs apud te ſtatuere deberes illam eſſe Eleutherij epiſtólam, quàm ex ea nobis aliquid objicere: ſed cùm de ea velut incerta dubites, planè vel hoc ſolo nominè obiecta nobis recuſare licet. Verùm incertam tuam erga eam epiſtolam fidem non moror, dum modò bona fide illius verba referas. Cæſar Baronius in Eleutherio, non leuem ſuſpicionis exceptionē his verbis offert; qui ea non Eleutherij, ſed Conſtantini potiùs conſtitutionis, quæ in codice Theodoſiano legitur, verba eſſe cenſet: & quidem ante Baronium Franciſcus Iouerius, qui Pontificum decreta, ac Concilia compilauit, hanc

Eleuthe

Eleutherij epiſtolam exſcribens, verborum illorum non meminit. At eſto: ea Eleutherij verba ſint. Quid tum? Vniuerſalem Eccleſiam Epiſcopis commiſſam eſſe: ſi verus huius propoſitionis ſenſus à Pontifice intentus retineatur: quidni verum eſſe affirmemus?

Triplex enim horum verborum ſenſus eſſe poteſt. Primus eſt tuus & Hæreticorũ, ſcilicet quòd vniuerſalis Eccleſia cuique Epiſcopo regenda credita ſit: ſed hic ſenſus ab eadem epiſtola impugnatur, in qua Pontifex expreſsè prohibet: vt Epiſcoporum iudicia non ab aliâ, quàm ab Apoſtolica Romana ſede terminentur: néve vllus Epiſcopus ordinetur, aut in Epiſcopali ſede collocetur, abſque eiuſdem Romanæ ſedis auctoritate; quibus verbis apertè declarat, non Epiſcopis; ſed Romano tantùm Pontifici, vniuerſalis Eccleſiæ curam eſſe à Chriſto demandatam: cùm non ipſe ab Epiſcopis, ſed Epiſcopi ab ipſo iudicari debeant.

Alter ſenſus eſt, quòd Epiſcopis ita Eccleſia vniuerſalis commiſſa ſit, quòd in ea defendenda velut membra, ac filij laborare debeant: & hic eſt verus, ac Catholicus Eleutherij ſenſus. Nam cùm à plurimis tunc hæreſibus vniuerſalis Eccleſia quateretur,

retur, omnibus, ac potiſſimùm Epiſcopis vniuerſalis Eccleſiæ tutelam, ac defenſionem à Chriſto commiſſam eſſe ſcribit, vt pro illius veritate, atque incolumitate ſtrenuè laborent.

Tertius quoque poteſt eſſe ſenſus, quòd omnibus Epiſcopis non diſtributiuè, ſed collectiuè tantùm, vniuerſalis Eccleſiæ regimen à Chriſto commiſſum ſit: cùm enim quilibet ſuum Epiſcopatum à Deo regendum ſuſceperit: dum quiſque ſui Epiſcopatus muneri incumbit, omnes ſimul vniuerſalem Eccleſiam regunt, quæ præter omnes Epiſcopatus non extenditur.

Eleutherio igitur à tuo vlulatu vendicato, ad Cyprianum venio, quem faciliùs adhuc à tua calumnia libero. Aſſerit Cyprianus ſe cum Stephano Romano Pōtifice gubernandæ Eccleſiæ libram tenere. Sed quomodo, aut qua ratione idemmet explicat, dum non ſibi, ſed Stephano Epiſcoporum deponendorum, atque alios in eorum Eccleſiis ſubſtituendorum poteſtatem tribuit. En illius verba. *Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelati conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Marciano, alius in locum eius ſubſtituatur.* Non igitur ſibi vniuerſalem Eccleſiam commiſſam agnoſcit, qui Epiſcopos depo

deponere: ac alios in eorum locum ſubſti-tuere non poteſt. Pari modo, cùm gregi ab Hæretico Epiſcopo dilacerato cæteros Epi-ſcopos ſubuenire debere affirmat: id ex charitate tantùm, non ex auctoritate fieri debere autumat: quod nos quoque cum Cypriano affirmamus.

Cæterùm, quòd dicis Cyprianum aliis Eccleſiis extra Africam laborantibus, imò & Romanæ ipſi non ſemel ex ſua Epiſcopali auctoritate occurriſſe: idémque Polycarpum, Irenæum, Oſium, Athanaſium, ac cæteros quos refers, præſtitiſſe, quod in ſecundo & quarto libro te pluribus explicare ais: falsò te omnino cùm hîc, tum in his libris aſſerere non dubitamus, quod in ſecunda parte hujus Parænesis clariùs euincemus.

Sed interim quid Apoſtolis reſpōdes, qui in canonibus à Clemēte Romano collectis Epiſcopis prohibent, ne alter in alterius Epiſcopatum ſeſe ingerat? Ita enim legitur can. 13. *Epiſcopo, qui parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto, licèt à pluribus ad hoc compellatur.* Tum can. 34. *Epiſcopus extra terminos ſuos in ciuitatibus, & regionibus ſibi non ſubiectis, ordinationes facere non præſumito.* Denique ſi cuique Epiſcopo vniuerſa-

Canon. Apoſt. Can. 13. & 34.

lis

lis Eccleſiæ cura commiſſa eſſet, cur Iulius primus qui ante ſusceptum Pontificatum Cōcilio Nicęno primo interfuit:ita de Epiſcopis ſcriberet? *Connexio totius corporis vnam ſanitatem, vnam pulchritudinem facit: & hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit; ſed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum: quibus etſi dignitas communis non eſt, tamen ordo generalis eſt. Quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De qua forma* Epiſcoporum *quædam orta eſt diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vindicarent.* *Iulius primus ep. ad omne Oriēt.*

Tertium poſt hos vlulatum audio. *A meo itaque munere*, ais, *alienum non eſt; imò mei muneris maximè eſt proprium, vt Romanæ Curiæ ſectam ſeparatam facienti, & gregem* Chriſti *laceranti, & vaſtanti pro mea virili (vt monet Cyprianus) non acceſſu quidem ad eam, quia tutus non eſt: ſed receſſu corporali ab ea, ſubueniam.* Cùm tuum hunc vlulatum audirem, fateor, riſum continere non potui. Opportunè profectò (M. Antoni) Chriſtiano gregi à Romanæ Curiæ ſecta dilacerato ſubuenis, dū celerem fugam capeſcis, ac gregem: deſeris fugis à Romana Curia, & ecce pro tua virili

contra ipſam decertas. Quis nouum hoc, ac inauditum certaminis, ac ſubuentionis genus non ſtupeat? Lupus gregē diſpergit, mercenarius fugit, & derelinquit oues, & tamē pro ouibus in acie ſtat, ac illis ſuppetias fert. Audio ſanè, hoc ſubuentionis genus per receſſum, non per acceſſum fit: credo equidem, nam ouibus tuis magis receſſu, quàm acceſſu profuiſti. Præſens tua contagione gregem inficiebas: qui modò tua abſentis infectione caret.

At bene eſt, quòd ad Romanam curiam prope non accedis; neque enim illuc Hæretico vnquam tutum fuit accedere. Fures Magiſtratus metuunt, ſcarabeus bono odore perit, mendacium nunquam non veritatem refugit. Sed Romanam Eccleſiam ſectam appellas. Quæſo, Antoni, quidnam ſectam nuncupas? Pannum, vel partem, quæ à panno ſcinditur? Pars certè à panno diſſecta, non pannus ſecta nuncupari debet. Age vndenam Anglia, vnde Scotia, vnde Hibernia diſciſſa fuit? Annon à Romana Eccleſia, cuius aliquando partes fuerunt? Vnde tu modò teipſum diſſecas? Nonne à Romana religione, cuius nuper membrum eras? Falsò igitur Romanam Eccleſiam ſectā vocas, ab eaq; Chriſti gregem

gem dilacerari contendis: cùm illas tantum ſectas, teq́; Sectariũ appellare debeas, Chriſtiani gregis, atque Eccleſiæ dilaceratorem, ac vaſtatorem, qui à Romana Eccleſia diſſecti eſtis. *Intellige ergo vel ſerò*, M. Antoni, (Optati verbis vtar) te Sectarium eſſe, *ramum ab arbore perfractum, riuum conciſum à fonte, palmitem à vite præciſum, ac mortuum membrum à corpore diſiunctum.* Optat. lib. 1.

Poſtremum tandem vlulatum edis cùm ais. *Meam quidem Eccleſiam Spalatenſem retinuiſſem libentiſsimè: ſicut Oſius, Baſilius, Euſebij, Hilarius, & alij à me modo nominati ſuas retinuerunt, & ad eas peracto publico vniuerſalis Eccleſiæ negotio ſunt reuerſi: Sed quia illa ſub Papæ iugo cum reliquis gemit, qui reformationem odit, & fugit: totíſque ſuis, & Principum ei adhærentium viribus eam impedit, habétque in eos, qui reformationi inſiſtunt vitæ & necis poteſtatem; propterea neceſſariò mihi fuit ipſa mea Eccleſia penitus deſerenda.* Lubentiſſimè, vt credo, Philiſteos imitatus Deum, & Dagon in eodem templo collocaſſes; at hæc nõ ferenda impietas. Téne Dagon Paſtorem, & Idolum, Pſeudo-Epiſcopum, in fide naufragum, ſubuerſum, Eccleſiæ hoſtem in eadem Spalatenſi Eccleſia, cum Deo ſedere æquum fuit? Melius

ſanè tibi conſultum fuit, eam Eccleſiam deſerere, ac integram ſedem Deo relinquere, quàm illa tanto ſcelere conſtuprare, ac conſpurcare; teq; ipſum ſummo ſupplicio afficiendum tradere. Fallor enim, ni vt alter Dagon aliquando truncus iacuiſſes in terra.

Porrò Oſius, Baſilius, Hilarius, ac cæteri, quibus indignè teipſum cōparas, ſuas poſt Hæreticorum procellas pro communi fide, & Eccleſia perpeſſas, Eccleſias retinuerūt: à quibus ob Catholicam fidem tuendam pulſi fuerant. Hoc illorum commune, ac ſummis laudibus efferendum negotium fuit: quòd nullis laboribus parentes, ſuas pro Chriſto, ac Catholica Eccleſia animas prodegerunt. Tu verò inter tranquillas Eccleſiæ vndas: nullis pro communi Eccleſia, prò Catholica fide, prò veritate tuenda laboribus functus, miſerè in perfidiæ ſalo naufragium paſſus, nec tuam tibi Eccleſiam retinere potuiſti. Fruſtra autem tui naufragij culpam in Papam reiicis, qui reformationem tuam oderit, & in Chriſtianos Principes, qui eidem aſſiſtentes impediant. Iam pridem enim hæc reformationis cauſa agitata fuit, cum noſtris, ac priorum temporū Hæreticis, Marcioniſtis, Donatiſtis,

natiſtis, Luciferianis, Nouatianis, Arrianis, ac cæteris huius furfuris Hæreticis: toties contra illos lata ſententia fuit: vt res iam in iudicatam tranſierit. A cauſa iam dudum excidiſti, quid iterum iniuſtam, ac impietatis ream cauſam refricas? Reformationem tuam non tam Papa, ac Chriſtiani Principes: verùm & vniuerſus Catholicus orbis odit, & exhorret, quandoquidem ſub ſpecioſa reformationis ſpecie, turpe, ac fœdum deformationis corpus abſcondit. Siquidem teſte Cypriano. Hoc proprium habent Hæretici, vt deformationem religionis, ſub reformationis titulo venditent. Semel à Chriſto formata Eccleſia ſemper incorrupta, ſemper integra, ſemper formata fuit, reformatione non indiget: qui eam reformare contendunt, vera, ac priſtina forma, quam à Chriſto accepit, illam exuere, ac deformare curant. Non igitur Eccleſiæ reformatores, ſed deformatores dici debent. *Cypr. de vnit. Eccl.*

Quapropter haud mirum eſt, tuam hanc religionis deformationem, ſub Papæ iugo diu oppreſſam gemere: cùm ſub eo reliquæ etiam hæreſes, quæ ſub reformationis nomine olim Eccleſiam deuaſtabant, iam extinctæ iaceant. Ea enim huius Apoſtolicæ ſedis prærogatiua eſſe agnoſcitur, ait Baſi- *Baſilius.*

lius, vt adulterinum à legitimo diſcernat, & erumpentes hæreſum colubros gladio veritatis obtruncet. Cùm verò Chriſtiani Principes, qui velut Eccleſiæ brachij gladium ad illius defenſionem gerũt: tam peſtifera germina è ſuis regnis, ac prouinciis eradicant, id ſanè præſtant, quod Catholicos Principes tam pro Eccleſiæ incolumitate, quàm pro ſuorum principatuum conſeruatione facere oportet.

VNDECIMVM CAPVT CONSILII.

Falſus Papatus.

IAm ad illud tui Conſilij caput examinandum deuenimus, M. Antoni, quo non tam proprio, quàm communi Hæreticorum ore, Romani Pontificis poteſtatem dilaceras, ac extinctam cupis. Id verò vt faciliùs, ac maiori cum politicorũ applauſu præſtes, tẽporalem Regum poteſtatem plus æquo extollis, his verbis. *Tremenda quidem eſt Regis terreni maieſtas, qui, vt Tertullianus loquitur, poſt Deum ſecundus eſt, & ſolo Deo minor: & ſuper quem (vt ait Optatus Mileuitanus) non eſt niſi ſolus Deus.* Verba, & Patres abſque vllo veritatis delectu conſarcinas; vt tibi magnæ Britanniæ Regis amicitiam concilies: at mihi crede, nulla vnquam malis artibus

parata,

parata, diuturna amicitia fuit. Quòd tibi terreni Regis poteſtas tremenda videatur, haud miror: ſemper enim Regis potentia, malis expauenda fuit: quæ bonos, ac probos homines, quàm plurimum ſolatur. Nam vt ait Paulus: *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: Vis autem non timere poteſtatem, bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.* Regis quidem majeſtatem ſuſpiciendam, atque à ſubditis debita obedientia, ac ſubiectione colendam, Apoſtolis ipſis auctoribus, didicimus. Petrus enim ita iubet. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti: ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.* &c. *Deum timete, Regem honorificate.* Paulus quoque idem imperat. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* Id tamen quod ex Tertulliano, & Optato (non citatis locis) Regibus tribuis, neque Tertulliani, neque Optati, ſed tuum eſt. Neque enim prior Tertullianus vnquam dixit, aut ſenſit temporalem Regis poteſtatem, nullā Spiritualem poteſtatē inter homines ſibi ſuperiorē agnoſcere: quod tamen eum dicere

Paul. Rom. 13.

Pet. ep. 1. ca. 2.

Paul. Rom. 13.

contendis, vt ex iis quæ paulò poſt ſubiicis, perſpicuum eſt. Cùm ipſe paſſim, tum in Apolog. c.39.tum lib.4.contra Marcionem c.24. Chriſtianos Reges, ac quoſlibet alios Eccleſiæ ſubiectos refractarios, & Eccleſiæ legibus non parentes cenſuris, ac excõmunicationibus ſubiacere doceat.

Tertull. in Apol. c.39. & l.4.contr. Marcio. c.24.

Eſto igitur: Rex poſt Deum in ſuo regno ſecundus ſit, ſolo Deo minor. Quid tibi Tertullianus fouet: cùm id de ciuili, ac temporali tantùm poteſtate dicat? Hoc ipſum & nos de Regum poteſtate ſummo honore prædicamus, quam Regibus integram ſub Deo ſeruamus. Sed quod inde tacitè infers: ergo nullus ſpirituali poteſtate Regi ſuperior eſt? Non Tertulliani, ſed tua impietas eſt: qua crudeliùs, quàm par eſt, in Reges ipſos graſſaris: quos cùm à Spirituali Pontificis, ac Epiſcoporum poteſtate ſeparas; certè ab Eccleſia diuellis: neq; vllum illis ouiũ in Eccleſia locum relinquis, quo ab Eccleſię Paſtoribus ali, ac ſpiritualiter regi poſſint.

At omiſſo Tertulliano ad Optatum venio: cuius verba hæc ſunt in lib. 3. contra Parm. vbi de Donato agit. *Chartaginis*, ait, *principatum ſe tenuiſſe crediderat: & cùm ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem, dum ſe Donatus ſuper Imperatorem extollit*

Opt. li. 3. con. Parmen.

extollit: iam quaſi hominum exceſſerat metas. Quid iam tibi ex hoc teſtimonio reponas, planè ignoro: cum apertè ibi Optatus de temporali Imperatoris poteſtate loquatur, quàm Donatus Chartagini affectauerat: vt verba illa priora indicant. Cùm enim Imperator, ſummia rerum potiatur; nec vllus temporali poteſtate illum in orbe excellat: cur Optato dicere non licuit, ſuper Imperatorem non eſſe niſi ſolum Deum, ita vt temporali potentia maiorem, aut ſuperiorem ſe neminem habeat, cui parere debeat? En obuius Optati ſenſus, quem omnes Catholicorum ſcholæ obuiis vlnis excipiunt. Sed quid hoc tuis votis ſuffragatur, qui eò, his Tertulliani, & Optati teſtimoniis, ſpectas; vt omnem ſpiritualem poteſtatem longé à Pontifice repellas, qua Reges, ac Imperatores Diuinarum, & Eccleſiaſticarum legum refractarios, vel in Eccleſiam graſſantes coërcere valeat?

Peſſimè agis, M. Antoni, nam in eo teipſum, non ſolum Chriſto, à quo hæc poteſtas in Pontificem manauit, vt perſpicuum eſt, ex teſtimoniis Ioã. *Paſce oues meas*, & Mat. *Ioan. 21.* *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*: Verùm etiã omnium orthodoxorum Patrum hoſtem ac perduellem decla- *Matt. 16.*

ras, qui hanc in Pontificem, ac Epiſcopos ſpiritualem poteſtatem, qua ſibi Reges ſubiicere valeant à Deo collatam agnoſcunt. Quid? Num meminiſti quæ Fœlix. 2. in Conſtantium: Innocentius 1. in Arcadium: Ambroſius in Theodoſium: Thomas Cantuarienſis in Henricum: Staniſlaus in Boleſlaum, & alij plerique Pontifices, & Epiſcopi in Imperatores, ac Reges præſtiterunt? Cur Chryſoſtomum non audis ſic ſcribentem? *Si dux quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi quid diademate ornatur indignè adeat, cohibe maiorem tu illo poteſtatem habes.* Cur Nazianzeni verbis aures occludis, qui orat. ad ciues Nazianzenos timore perculſos, Præfectum regia poteſtate inſignitum ita alloquitur. *An me liberè loquẽtem æquo animo feretis? nam vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſelliis lex Chriſti ſubiecit.* Quis Reges laicos eſſe non agnoſcat, quos Epiſcopis, ac ſacris Eccleſiæ miniſtris ſubiectos eſſe oportet? Si Reges Eccleſiæ filij ſunt, ſi inter Chriſti oues numerantur, ſi Eccleſiæ membra ſunt: quidni Summum Pontificem communem Patrem, Paſtorem, ac caput Eccleſiæ à Deo inſtitutum agnoſcant? Cui filiorum, ouium, ac membrorum obedientiam exhibeant.

Chryſoſt. in Matt. hom. 33.

Nazian. orat. ad ciues Naz.

Id Imperatores, id Reges bene erga Eccleſiam

ſiam affecti ſummo ſemper honore, ac reuerentia præſtitere. Vide quæ Conſtantinus magnus apud Nicephorum, Valentinianus epiſt. ad Theodoſium Imp. Marcianus epiſt. ad Leonem, Iuſtinianus epiſt. ad Ioannem Papam quæ habetur in tit. de ſum. Trin. & fid. cat. Baſilius Imp. orat. habita in 8. ſynodo, huius Chriſtianæ ſubiectionis teſtimonia proferant. Perpende etiam qualem erga Romanos Pontifices, ipſi Reges obedientiam ſuis literis teſtati fuerint, Luithprandus Rex Longobardorum, in legibus Longobardorum tit. 23. §. 5. Athalaricus epiſt. ad Clerum Eccleſię Romanæ; Carolus Rex Franciæ epiſt. ad Adrianum 2. Hugo epiſt. ad Ioannem Papam, Leo Rex Armeniorum epiſt. ad Innoc. 3. Carolus Rex Siciliæ epiſt. ad Clementem 4. Eduardus Rex Angliæ epiſt. ad Bonifac. 8. & alter Eduardus epiſt. ad Clem. 6. Vladiſlaus Rex Poloniæ epiſt. ad Ioan. 22. Ladiſlaus Rex Vngariæ, & Bohemiæ orat. Romæ habita ad Nicolaum 5. & innumeri prope alij. Sed hæc modò fuſiùs non perſequor quandoquidem de his nobis aliàs agendum erit. Vides igitur nihil tuo errori ex Tertulliano, ac Optato præſidij relictum fuiſſe.

Niceph. l. 8. hiſto. Eccl. cap. 16.

Quòd ſi maiori adhuc impietate, vt videris, hac

ris,hac adulatoria arte eò tendas, vt etiam ipſis regibus Pontificiam poteſtatem ſubiectam eſſe velis; atque adeo ſereniſſimo Angliæ Regi hoc infidelitatis iuramentum iam te præſtitiſſe indicas: vt ipſum etiam in ſpiritualibus, Eccleſiæ caput eſſe non dubites. Pudeat te ex Epiſcopo, tanti Principis aſſentatorem fieri: quem potiùs ab iniuſta huius poteſtatis vſurpatione abſterrere debueras. Erubeſce te ſanctiſſimum Oſium, non tam non imitari, quàm ab illius Epiſcopali conſtantia quam plurimũ abeſſe. Ille Conſtantium Imperat. his verbis in epiſtola eſt aggreſſus. *Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe: reformida diem iudicij: ſerua te in illum diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe: ſed potiùs ea à nobis diſce: tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ Deus concredidit.* Tu verò iuras ſyncerè, profiteris, teſtificaris, & declaras in conſcientia tua, te Regem in temporalibus, ac ſpiritualibus caput agnoſcere. Athanaſius aduerſus Conſtantium his verbis clamat. *Quando à condito æuo auditum eſt? Quando iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antehac ſynodi fuere,* *multa*

Oſius apud Athanaſ. ep. ad Conſt.

Athan. ep. ad ſolitariam vitã degentes.

multa indicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque Patres huiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt: nec Princeps in rebus Eccleſiaſticis ſe curioſè præbuit. Denique rem paulò poſt adeo exaggerat, vt palàm dicere non dubitet. *Quis videns Conſtantium Principem, ſe facere Epiſcopum, & præſidere iudiciis Eccleſiaſticis non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Quid tu? Vt ſacrilegam hanc abominationem Patribus, ac Conciliis execrandam, in Eccleſiam inferas, iniuſtæ Principum libidini applaudis: illis ceruicalia conſuis, puluillos ſub capite ponis, quò tutiùs in errore quieſcere valeant: ac nulli prætcrquam Deo ſubiectam Pontificum poteſtatem, Regum imperio ſubijcis.

At illud certè minimè ferendum, quod Dauidis à Propheta correpti exemplo, Reges, ſi peccent, non à Sacerdotibus, non ab Epiſcopis, non à Pontifice; ſed tantùm à Prophetis extraordinariè excitatis corrigi debere affirmas, his verbis. *Propterea cùm aliquando Rex Dauid de adulterio, & homicidio eſſet obiurgandus: non ſummus Pontifex, aut alius, aut Sacerdos, aut Leuita: non quiſpiam aut amicus, aut familiaris id muneris auſus eſt aſſumere; ſed Deus ipſe ſuos proprios, ac peculiares*

ad hoc

ad hoc adhibuit Nuncios: Nathámque Prophe-
2. Paral. 26. *tam ad Regem increpandum deſtinauit.* Cur er-
go ſummus Pontifex Azanias Oziam Re-
gem, ſacris miniſteriis ſeſe ingerentem, non
ſolum duris verbis increpauit: verùm etiam
1. Tim. 5. & 2. cap. 4. & ad Tit. c. 1. è ſanctuario eiecit? Cur Paulus Timotheo
Epiſcopo mandat. 1. Tim. 5. vt peccantem
coram omnibus arguat, & 2. c. 4. vt Arguat,
obſecret, increpet in omni patientia, & do-
ctrina? Cur Tito c. 1. ab eodem iubetur, vt
arguat cum omni imperio? & inter Epiſco-
pi munera, quæ eidem Tito commendan-
tur, illud annumeratur. *Vt potens ſit exhortari
in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt argue-
re.* Num delinquentes Reges, aut Princi-
pes ab Epiſcoporum correptione libe-
ros vnquam Scriptura eſſe docuit? Quid
ſi nullus Propheta ſit: num illi Prophe-
tam à Deo, miraculo excitatum expectare
debent? Itáne Regum Chriſtianorum ſa-
luti conſulis? Vt cùm nullus inter Chri-
ſtianos, poſt Euangelium perfectè promul-
gatum, Propheta publicus appareat, il-
los ſi quando in vitia labantur in iis nullo
corripiente perire neceſſe ſit? Quid? Infir-
matur ouis, & nullus erit Paſtor, qui illi cu-
rationem adhibeat? exorbitat filius, non
erit Pater, qui illum ad diſciplinam reuo-
cet?

eet? Membrum Lethali morbo laborat, nullúmque erit caput, quod illius incolumitati prouideat? atque vt Bernardi verbis vtar. *Aſinus cadit, & habet ſubleuantem ſe: Rex cadit, & non eſt qui ſubleuet.* Annon hæc impietas eſt, cuius crudelitas redundat in Reges? Falleris M. Antoni, hac te Regi adulatione placere optas, ſed regium animum, non omnino indoctum potiùs offendis, qui ſe Epiſcoporum filium fateri non veretur.

Hæc quidem ſunt huiùs capitis prælúdia, quæ impia adulatione obeſas. Iam verò nobis ipſum tui Cōſilij caput examinandum eſt, cuius initia exponis, cùm ais. *Cum Romano verò Pontifice vniuerſam Eccleſiā nunc maximè turbante, ſcandalizante, explicante, opprimente agere non eſt Prophetarum. Non eſt expectandum, vt Deus ad hoc ſingulares excitet Prophetas, & deſtinet nuncios peculiares.* Quis horum verborū furorem audiens, M. Antoni, non ſtatim te inſanum, te hæretico ſpiritu exagitatum ſentiat? Memini me aliquando Epiphaniū contra Appelleianos de Hæreticorum furore ita diſſerentem legiſſe. *Tradunt* (inquit) *doloroſam Veſpam, quam quidam Zopirō appellant, habere quidē aculeum venenum jacientē, breuem non multū dolorem inducentem:* Epiph. hær. 44. contr. Appell.

ſed

ſed qui ſecundùm ipſius facultatem venenum iaciat. Si verò quis perſcrutans ipſius latebras, aut nidum deſtruat (inſtructilibus enim, & herbis hunc facit, & inſtar faui, ſibi ipſe capſas quaſdam conſtruit, in quibus capſis ſobolem ſuam deponit, & ſibi ipſi fœtus facit) ſi quis, inquam, perſcrutans virga, aut ligno pungat fauum, & deſtruat: exit indignata ipſa horrenda quidem, verùm debilis Veſpa: & ſi inuenerit petram, aut lignum, præ ira, qua ſcanduit, cum ſtridore inſtat, & impetit, ac ferit: petram quidem nihil lædit, nec lignum, imò nec hominem etiamſi momorderit, niſi quòd modicum dolorem inducit: verùm aculeum amittit, & ſic perit: petra verò nulla iniuria afficitur. Tuus, M. Antoni, eſt hic veſpaceus furor: plurima animi iracundia: ſed parua nocendi vis: horrendus ſtridor; ſed debilis Veſpa. Indignè fers, quòd Romana Eccleſia detectis arcanis mentis tuæ latebris, ſordidos errorum tuorum nidos, ex praua doctrina contextos non fouerit, diſſuerit, euerterit: ac propterea Veſpaceo furore percitus è latebris erumpis, excandeſcis, ſtrides, impetis, ac linguæ aculeo Petram illam, ſuper quam Chriſti Eccleſia eſt ædificata, contumeliis feris, Pontificem conuiciis pungis, & quem Eccleſiæ Rectorem, ac Paſtorem eſſe conſtat:

hunc

hunc tu Eccleſiæ turbatorem, ſcandalizatorem, expilatorem, oppreſſorem appellas. verùm cùm nihil aculeo tuo, huic Petræ noceas, vide ne nimis feriendo intereas.

Decebat ſanè, vt Dauidis exẽplo perterritus, expaueſceres linguam, ac calamũ mittere in vnctum Domini. *Dauid* (inquit Optatus) *repreſsit cum gladio manum, & dum timuit oleum, ſeruauit inimicum.* Tu verò nec Deum times, nec oleũ reuereris; ſed immani odio percitus, tibi inimicum Põtificem aggrederis, in vnctum Domini linguæ mucronem acuis, ſanctũ Domini pedib. conculcas, Sacerdotis Deo & hominib. venerandi honorem depaſcis. Tuo furori tanta fames innata eſt, vt iuxta Dauidis teſtimoniũ, Sepulchrũ patẽs tuũ ſit guttur. Vnicuiq; ſepulchro vnũ funus ſufficit, & clauditur: gutturi tuo, non vnius, ſed omniũ Pontificũ funera minimè ſufficiunt: neque enim vnũ tantùm Põtificẽ deuoras; ſed totam ſimul omniũ Pontificum poteſtatem abſorbes, nec adhuc ſat eſt. Opt. lib. 2.

Noua enim adhuc funera optas, dum addis. *Non eſt noſtri Romani Papæ, nõ eſt tanta maieſtas vt terrere debeat: ficta eſt illa temporalis, & faſtuoſa maieſtas: vſurpata eſt; nulla eſt: frater noſter ille eſt, collega eſt, & Coepiſcopus nobiſcum, ac in opere, & labore comminiſter.* Si

Hæreticorum furori Romani Papæ maieſtas ſubiecta eſſet. O quot iam funera obiiſſet! Planè nunquam fuiſſet, nunquam eſſet, nunquam illa maieſtas foret: ſed penitùs ſublata, iugulata, extincta iaceret. Neque enim vlla vnquam hæreſis, præter quam à Romani pontificis odio vel cœpit, vel in illud deſiit. Huius rei teſtis eſt Cyprianus ita ſcribēs. *Neque enim* (ait) *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti non obtemperatur: nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.* Quòd etiam confirmat his verbis. *Vnde enim Schiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur: niſi quòd Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur.*

Cypr. lib. 1. ep. 3. & lib. 4. ep. 9.

Lib. 4. ep. 9.

Non leue eſt, M. Antoni, quod tibi impingitur crimen. Vides iam nullum tibi effugium ſupereſſe, quo te ab hæreſi, ac ſchiſmate liberare queas. *Non eſt*, inquis, *noſtri Romani Papæ, non eſt tanta maieſtas, vt terrere debeat:* attamen te ita terruit, vt nullum tibi tutum locum eſſe putaueris, niſi in Angliam transfugeres. Quòd ſi terreni Regis maieſtas, non Romani pontificis tremenda eſt.

eſt. Quid eſt, quòd Romani Papæ, quem exterritus fugis, magis quàm magni Angliæ Regis ad quem confugis, vultum, ac maieſtatem pertimeſcis? Romani pōtificis maieſtas, non alia præterquam Chriſti maieſtas eſt, cuius vices, ac poteſtatē gerit. Quapropter ſi Chriſti maieſtas non furore, ſed imperio, ac præſtantia Angelis tremenda eſt: quidni pontificis maieſtas non ſeueritate, ſed poteſtatis magnitudine homines terreat? Ita ſanè Hieronymum tuæ Dalmatiæ decus eadem maieſtas terrebat, cùm ad Damaſum Pontificem ita ſcriberet. *Quamquam igitur tua me terreat magnitudo: inuitat tamen humanitas.* Faceſſat inuidia, *Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor.* *Hieron. ad Dam. ep. 57.*

At vnde doces, quòd Romani papæ maieſtas ficta ſit, vſurpata ſit, nulla ſit? Si de faſtuoſa, ac pompatica maieſtate, quæ vitioſa eſt, agis: aſſentior. Ea enim à Romano Pontifice longe eſt, nulla eſt, ſed potius ab Hæreticis ficta: Si verò de pontificiæ dignitatis maieſtate loqueris: qua Scriptura, quo Concilio, quo patre, quóve teſte eam nullam, vſurpatam, fictam eſſe contendis? Nihil profers, niſi hoſtilia verba: cùm ille ex aduerſo, ex Scripturis, &

Conciliis, ex Patribus mille teſtes producat, quibus eam veram ſibi adeſſe probat, atque vt pauca quædam duntaxat indicem. Ex Scripturis profert Chriſti teſtimonia; Matt. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & Ioan. 21. *Simon Petre diligis me plus his? paſce oues meas*; & pleraque alia. Ex Conciliis; Nicænum 1. Can. Arabico 39. vbi de Romano Pontifice definitur. *Ipſe eſt primus ſicut Petrus: cui data eſt poteſtas ſuper omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum; vt qui ſit vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam*: & quicunque contradixerit à Synodo excommunicatur. Concilium Sardicenſe cap. 7. Conſtantinopolitanum 1. Epheſinum 1. epiſt. ad Cæleſtinum Papam; Chalcedonenſe Act. 16. quibus cætera omnia poſteriora Concilia ſubſcribunt. Ex Patribus, Irenæum libr. 3. cap. 3. Athanaſium epiſt. ad Marcum Pap. m, Gregorium Nazianz. orat. 52. Chryſoſtomum epiſt. ad Innoc. Pap. Tertullianum lib. de pudicitia, Cyprianum epiſt. 67. ad Stephanum Papam, Ambroſiũ ep. 81. ad Siricium Pap. Optatum lib. 2. adu. Parmenianum, Hieronymum ep. 8. ad Demetriadem, & ep. 57. ad Damaſum,

Matt. 16. Ioan. 21.

Auguſti

Auguſtinum ep. 162. & 163. Patres Concilij Mileuitani epiſt. ad Innoc. Papam, & alios prope innumeros, de quibus aliàs vberiùs agemus.

Ficta igitur, vſurpata, nulla non eſt illa Pontificia maieſtas; quæ tot Diuinis, ac humanis teſtimoniis ſubſiſtit. Itaque frater ſit, collega ſit, Coepiſcop' ſit, cōminiſter ſit; imò & ſeruus ſeruorũ Dei ſit: hæc enim nomina Pontifex ipſe non reſpuit, quin etiã iis appellari magnopere delectatur, qui Pontificiã maieſtatem non ad pompã oſtentat; ſed ad Eccleſiæ cõmodũ, & ædificationẽ cõfert: id tamen non impedit quominus Pater omniũ ſit, caput ſit, Pontifex ſit, Eccleſiæ Paſtor ſit, ac talis à fidelibus agnoſci debeat.

At quis nouus furor, ad nouum te clamorẽ compellit? Audio enim te vociferantẽ. *Quid ſtertimus? Quid dormimus? Frater perit, & ſecum Eccleſias in perditionem trahit: & nos ipſius fratres contemnimus, nec occurrimus.* Helias olim Prophetis Baal, his verbis, illudebat. *Clamate voce maiore: Deus enim certè dormit, vt excitetur.* Clama voce maiori, Antoni, fortè nõ audiũt Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi: lõgè abes: Angliæ clamor ad eos non peruenit, Quid ſi magis tuis clamorib. in vtramq; aurem obdormiant? Quale hoc miraculũ eſt? Tu pro- 3. Reg. c. 18.

cul ex Anglia Romanum naufragium ebullire vides: Romam, ac Romanas Eccleſias ſimul cum Pontifice pereuntes cõtemplaris: ipſi Romæ circumiacẽtes ne abſentis quidẽ naufragij ſpeciem, aut iudiciũ vllum aduertunt. At cauſam (ni fallor) attingo: nihil niſi fidei, ac bonorum omniũ naufragiũ tecum in mẽte circumfers: quid mirum, quòd naufraga mens nihil niſi naufragium videat. At falleris, cùm Romani Pontificis, ac Romanæ Eccleſiæ naufragium te videre putas: tuum duntaxat, ac populorũ tibi cohærentium naufragium eſt, quod intueris: cur potius te ipſum, & adiacentes populos è graui ſopore nõ excitas, atque à naufragio liberas?

Vides profectò Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos, tuis clamoribus non moueri, neque naufragiũ extimeſcere: atque inde velut in canis rabiẽ præ clamore verſus iterum clamas: *Taceant omnes, quieſcant omnes, cõtemnant omnes: ego catellus profectò omnium minimus, qualicumque latratu excitabo ſaltem fortaſſe acres moloſſos dormientes à Papatu mira arte ſopitos, qui lupum arceant, & Ouile Chriſti (vt par eſt) pro ſuo munere tueantur.* Quid eſt, M. Antoni, quòd voce, non tamen impietate mutata, qui priùs canẽm, ac molloſſum teipſum in Chriſti grege eſſe iactabas, modò

te

te catellum melitenſem profiteris? Ficta hæc humilitas eſt, quæ maius, ac inexplebilius nocendi ſtudium abſcondit. Tibi ſanè indignum viſum non fuit, vt ex Primate aulicus: ex Archiepiſcopo presbyter: Ex Epiſcopo Regis miniſter fieres: dummodo Romanæ Eccleſiæ noceres: cur nunc tibi turpe videri debet, quòd ex cane teipſum in catellum minuas, quò tenui latratu, maximam (ſi poſſes) ſeditionem aduerſus Pontificem excitares? Dormientes moloſſos tuo latratu excitare cupis, qui lupum arceant: At caue M. Antoni, ne ſi importuno tuo latratu acres, ac fideles Catholici gregis moloſſos, velut dormientes, ac ſua tranquillitate fruentes excites: illi catelli omnium minimi temeritatem indignè ferentes; quippe qui ipſorum tranquillitatem perturbare, ac aduerſus proprium Paſtorem, non lupum compellere auſus fuerit, te ore, ac ſcriptis ſuis diſcerpant.

Sed quid audio? Tune Pontificem modò lupum appellas, quem paulò ante fratrem, collegam, Coepiſcopum, cõminiſtrum nuncupaueras? Si lupus eſt: cur teipſum lupum non exiſtimas, qui lupum fratrem habeas? Si omnium Epiſcoporum frater eſt; quare eadem ratione Epiſcopos omnes, ite-

iterum lupos non agnoſcis? Quòd ſi teipsũ ac Epiſcopos ab hac criminatione liberos optas, cùm Romanum Pontificem priùs fratrem, collegam, Coepiſcopum, commiſtrum eſſe dixeris, profectò id fateri debes num falsò te lupum illum appellare, ác proinde impium eſſe hoc tui Conſilij caput, quod ex falſo Papatu tibi arripis.

Dvodecimvm, et postremvm Capvt Consilii.

Fuga errorum, & abuſuum.

Excuſſis igitur vndecim tui Conſilij capitibus, duodecimum tandem, ac poſtremum examinandum ſupereſt, quod his verbis exaras. *Profectionem hanc meam, ſiue etiam ex Babylone exitum, aut fugam omni ſchiſmatis ſuſpicione carere volo. Fugio enim errores; fugio abuſus; fugio ne particeps ſim delictorum eius, & de plagis eius accipiam. A charitate tamen, quam debeo Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, ſingulisque eidem communicantibus me nunquam ſeparo; ſed quantum in me eſt, cum omnibus quamdiu in eſſentialibus noſtræ fidei articulis, & ſymbolis antiquæ Chriſti Eccleſiæ conuenimus, perpetuò communicare ſum paratus: ſi tamen nouos articulos ſiue ſacræ Scripturæ apertè contrarios, ſiue à Symbolis prædictis*

ctis alienos, iiſque repugnantes ſimul omnes deteſtemur, & abominemur. Alios verò in ſe differentes in Eccleſia nunquam ſufficienter diſcuſſos, ſtabilitos, & definitos pro articulis fidei, niſi priùs ad plenum definiantur, aut iam ſufficienter definiti eſſe oſtendantur nequaquam admittamus. Sed neque eos vt hæreticos, niſi priùs ab Eccleſia ſufficienter condemnatos eſſe nobis conſtiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaque in indifferentibus libera cuique Eccleſiæ facultas opinandi, & operandi, & vnaquæque abundet in ſenſu ſuo, donec ipſa Eccleſia Spiritu Chriſti inſtructa, & recta controuerſiis finem imponat, veraſque paleas ſeparet à veris granis. Perpendamus, quæſo ſingula, quæ in hoc capite exponis.

Dicis primùm te fugere errores, fugere abuſus, fugere Babylonis delicta; ne ſchiſmatis ſuſpicione apud homines labores. At quos errores, quos abuſus, quæve delicta fugias ignoramus: niſi fortè ea ſint, quæ paulò poſt commemoras, nimirum noui articuli ſacræ Scripturæ contrarij, & ſymbolis antiquæ Eccleſiæ repugnantes. At ſi hos errores, & abuſus fugis: cur à nobis aufugis? Hos enim & nos tecum fugimus, & damnamus. Cur ad eos te confers, quibus noui

ſunt articuli Scripturis contrarij, atque ab antiqua Eccleſiæ doctrina diſſentanei? Id enim iam tibi ſuperiùs demonſtratum fuit. Quid tibi pertimeſcendum erat, ne de Babylonis plagis acciperes, qui longè à Babylone eras,& nobiſcum aliquando Babylonicos errores abominabaris? Iam nunc primum tibi formidandum eſt, ne cum Babylone obruaris: qui, Eccleſia Chriſti deſerta, nouus incola Babylonem es ingreſſus. Qui ab Eccleſia quocunque prætextu recedit; num ſe à ſchiſmatis ſuſpicione quacunque ratione liberare poterit? Quod ſi errores atque abuſus, Romanam ipſam doctrinam ſectariorum placitis repugnantem appellas: certè non errores, non abuſus, non Babylonem fugis: ſed potiùs apoſtaſiam, fidem, atque Eccleſiam fugiens; errores, abuſus, ac Babylonem quæris. Fruſtra igitur laboras, vt te à Schiſmatis, parum dico, verùm ab hæreſis crimine expurgare queas.

Profiteris 2. te à charitate Eccleſiæ Catholicæ, ac omnium illi communicantium vnione minimè ſeparari velle, quamdiu in eſſentialibus noſtræ fidei articulis, & ſymbolis antiquæ Chriſti Eccleſiæ tecum conueniunt. Quid ſi non conueniant? Illud ſanè te inferre neceſſe eſt, quòd ab Eccleſiæ Catho

Catholicæ, & à ſingulorum eidem communicantium charitate teipſum diuellas.

Duo igitur à te paucis his verbis accipio. Primum, quòd Romanam Eccleſiam non obſcurè, Catholicam fateris, cum qua de fidei articulis componis. Alterum, quòd à Catholica Eccleſia, quæ ex omnium antiquorum Patrum teſtimonio ſola vera Chriſti Eccleſia eſt, teipſum ſeparas. Hæc ex tuis verbis liquidò conſtant. Sed diligẽtius rem examinemus. Quid per eſſentiales fidei articulos, & antiquæ Chriſti Eccleſiæ ſymbola intelligas tibi declarandum fuit: ex Sectariis namque nonnulli, vt Caluinus Inſt. lib. 3. c. 2 eos tantùm eſſentiales fidei articulos eſſe ſentiunt, qui in Apoſtolorum ſymbolo continentur, quamuis nec omnes accipiant. Alij, magis adhuc eſſentiales fidei articulos contrahunt: ita vt iis omnia fidei dogmata adiaphora, atque indifferentia ſint, dummodo Chriſtus non negetur. Id enim apertè docent Confeſſio hæretica ca. 7. Iacobus Sindellinus contra Staphylum, & Beza contra Brentium: qui etiam in prima Theologica epiſtol. ad Andream Dutium Caluiniſtam, qui ſecum conqueſtus fuerat de pleriſque in fidei doctrina diſſenſionibus, quæ apud ipſos vigebant, reſpondet:

non magnopere curandum eſſe ſi diſſenſiones in fide vigeant, dummodo Chriſtus teneatur. Tu igitur cùm Sectariorum placita, Romanæ Eccleſiæ contraria; veram doctrinam, atque antiquæ Eccleſiæ conſonam eſſe non pridem arbitratus fueris, id te nunc quoque de eſſentialibus fidei articulis, cum iis ſentire credendum eſt.

Iam ergo quid ſentias habemus; cum Catholica Eccleſia communicare paratus es, non paucis ac iniquis conditionibus adiectis: quarum 1. eſt, quòd illa in eo tecum conueniat; nihil præterquam quod, Chriſtus ſit, vel ad ſummum præter ea, quæ in ſymbolo continentur, etſi non omnia, pro eſſentialibus fidei articulis eſſe credendum. Secunda, quòd ſymbola antiquæ Chriſti Eccleſiæ, quæ ſola Sectariorum doctrina concludis, tecum vnanimi ſenſu complectatur. Tertia, quòd fidei articulos, ſeu dogmata, quæ cum his ſymbolis, ac doctrinis pugnant, ſimul tecum deteſtetur, & abominetur. Quarta, quòd alia omnia velut in fide adiaphora, & indifferentia habeantur, tanquam nullo Eccleſiæ canone definita. Quinta, vt nulla dogmata, hæreſis damnentur; præter ea quæ vel huiuſmodi articulis eſſentialibus fidei, vel prædictis ſymbolis

ſymbolis contraria ab Eccleſia hactenus iudicata ſunt, ac condemnata. Sexta, quòd his fidei articulis, ac ſymbolis ſaluis, ac integris; cuíque liberum ſit circa fidem opinari, atque etiam operari: ita vt ad ampliora, præter huius fidei opera, nemo cogatur. En exactam, ac perſpicuam tuæ fidei confeſſionem, tuis verbis exaratam, atque his conditionibus comprehenſam: in qua ſi Catholica Eccleſia tecum conſpirat, Catholicus es, ac cum illa communicas: ſin minùs ab ea te ſeparas.

Iam hinc ſole clarius perſpicere licet, te non Catholicum, ſed apertum Hæreticum eſſe. Prima enim conditio prope ad infidelitatem accedit. 2. Catholicę Eccleſiæ fidem proſcribit. 3. Caluiniſmum, ac Lutheraniſmum in Catholicæ Eccleſiæ ſede collocat. 4. perpetua veræ fidei bella indicit. 5. liberum omnibus hæreſibus aditum, velut fide publica interpoſita, in Eccleſiam aperit. Poſtrema, fidem proſtituit, & quibuſlibet vitiis, ac ſceleribus viam ſternit. Et quidem ſi in his aliquantulum demorari lubet. Quid prima conditione infidelius? Qua, Chriſti Nomine duntaxat retento: vel ſi mauis, ſolo Apoſtolorum ſymbolo integro (ſi ita eſt) relicto, cuncta alia fidei dogmata, ve-

lut vno ictu confodis. Quònam igitur tot Sacramentorum, quò tot Scripturarum, quò tot Diuinarum traditionum fides euanuit, quæ Apoſtoli, eo fidei ſymbolo, nunquam ſunt complexi? Quò tot Eccleſiæ decreta, quò tot Conciliorum ſanctiones ad fidem ſpectantes euaſerunt, quæ Apoſtolico ſymbolo minimè continentur? Hæc ſi vera, ac Diuina fidei dogmata ſunt: Vnde te apertius veræ fidei hoſtem declarare poteras, quàm cùm ea vno impetu aggrederis, atque vna impietate trucidas? Vbinam tibi illa fidei integritas, ac vnitas eſt, quam neceſſariam affirmat Apoſtolus, dicens. *Paul. ad Eph. 4.* Vnus Deus, vna fides. Cùm eam ita truculenter diſſecas, ac diſperdis: vt nec fruſtum quidem ipſi integrum relinquas?

Venio ad ſecundam & tertiam tuæ fidei conditionem: quibus ſanè nihil in fide inſolentius excogitari poteſt. Cùm enim petas ſectariorũ doctrinam velut antiquæ Eccleſiæ ſymbolum ab Eccleſia Catholica recipi, & ad fidei canonem perſtringi, omnemque cum illa pugnantium dogmatum fidem longè ab Eccleſiæ propulſari. Quid his poſtulas, niſi vt error pro veritate, hæreſis pro fide regnet? Nemini enim non exploratum eſt, Sectariorum noſtrorum doctrinam veterum hæreſum excrementa eſſe: adeo vt

quęcunque Sectarij docent:non propria,ſed veterũ Hæreticorũ germina,ac inuenta ſint; Quod,quia latè in noſtris demonſt.tō.2.l.2. dem.6.proſequor,hoc loco prætereo. Quid petis, niſi vt Eccleſia Catholica,Lutherana, ac Caluiniana fiat,& ſponſo Chriſto relicto, cum ſectis adulteret? Quid tandem expetis, niſi vt fidem abominetur,vt Sectariorũ placitis adhæreat? At vide ne tu magis abominandus, ac deteſtãdus ſis,qui rem omnibus abominandam, ac deteſtandam Eccleſiæ perſuadere niteris.

Quod verò 4.conditione poſtulas: adeo veræ fidei peſtiferũ eſt, vt neceſſariò, breui illam ad interitũ rapiat.Quid enim ſi libera omnibus circa Sacramẽta, circa Scripturas, circa traditiones,circa Eccleſię decreta credendi facultas data ſit: non mali, ac funeris in Eccleſiam allaturum foret? Cùm tot ſententiæ,quot capita, omnia inteſtinis doctrinarum bellis incenderent, ac Catholicam fidem diſcerperent.

Quid verò 5. conditione intolerabilius? Poſtulas, vt nulla præterquam Catholicæ fidei dogmata, hæreſis damnentur. Admodum rudis,& aggreſtis es, M. Antoni,ſi hæc nobis perſuadere te poſſe ſperas: hæc,vt video, grauiſſima tua conſilia ſunt, quæ ſub

cano;

cano; ſed necdum integra mente prædito capite recondis. Meliùs fortè cùm per mentem, vel per ætatem licebit, ſapies. Interim, ea tantùm dogmata hæreſis damnamus, quæ Eccleſiæ Catholicæ fidem oppugnant.

Sexta conditio te prorſus Lutheranum Caluiniano mixtum, ac denique perditum demonſtrat. Cùm enim non modò fidem cuiuſlibet opinioni liberam tradas: verùm, & hominum actiones, nulli aut virtutis, aut imperij legi ſubiectas eſſe velis, ſanè hoc ipſo declaras te non tam omni fide carere, quæ certa eſſe debet, ac determinatis regulis concluſa: quàm vitiis, ac ſceleribus plurimùm delectari: cùm præſcriptas omnibus bene viuendi leges ab Eccleſia expungis.

Denique ſi vniuerſos huiuſce tuæ confeſſionis articulos ſimul perſtringas: nihil tibi omnino veræ, ac Catholicæ fidei relictum reperies: ſed te Lutheranum, Caluinianum, Bezanum, demum Hæreticum, ac prope infidelem declarant. Hæc ſanè fuſiùs non perſequor, neque acriùs vrgeo, vt monitorem me potius, quàm hoſtem te habere ſcias.

Quid ergo cum Catholica Eccleſia, tam iniquis conditionibus fœdera te inire poſſe putas? Erras, M. Antoni, Eccleſia Catholica non

non hoſtes, ſed filios: non Hæreticos, aut Schiſmaticos, ſed Catholicos in ſuo gremio alit, ac cõmunione fouet. Si reſpuis Catholicus eſſe, te quoque ipſa velut hoſtẽ reſpuit, atque à gremio expellit. Atqui à Catholica Eccleſia (inquis) niſi conſenſerit, diſcedo. En occurrit Paulus. *Si infidelis diſcedit, diſcedat, &c. oportet enim hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Tentatio bonos probat, ſed malos reprobat: atque vt Cypriani verbis vtar, *Nemo exiſtimet bonos ab Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit: inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.* Palea eſſe vis, cum paleis eupla: ſatius eſt paleam à vento proiici, quàm triticum inter paleas ſordeſcere: plus Eccleſiæ tritico abſens perſequendo, quàm præſens ſimulando proderis. *Ex his enim hominibus* (ait Auguſtinus) *Hæretici fiunt, qui etiãſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarẽt: cùm autem foris ſunt, plurimùm proſunt: non verum docendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando.*

Paul 1. Cor 7. & 11.

Cypr. de vnit. Eccl.

Aug. de vera relig c. 8.

Laboras quamplurimũ, vt video, M. Antoni: vt Hæretici nomen, quod maximè tibi deberi extimeſcis, à te excutias; quapropter

ita ſcribis. *Interim verò celeberrimum celeberrimi dictum teneamus Cypriani, quo in Concilio Chartaginenſi vſus eſt. Neminem, inquit, iudicantes, aut à iure communionis aliquem ſi diuerſum ſenſerit amouentes. Neque enim quiſquam noſtrûm, Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſsitatem collegas ſuos adegit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poſsit, cùm nec ipſe poſsit alterum iudicare: ſed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus, & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.* Hactenus Cyprianus. At fruſtrà laboras vt Cyprianum ſaltem ad tui erroris patrocinium pertrahas. Cyprianus enim cùm neminem Epiſcoporum à iure cõmunionis arcendum cenſet: ſi diuerſum aliquid in quæſtione de Hæreticis rebaptizãdis, de qua tunc agebatur, ab aliis ſenſerit, Epiſcopos ſuos ſuffraganeos ante Cõciliũ alloquitur vt ex ipſa Cypriani præfatione conſtat: cùm verò quoties de aliqua fidei cõtrouerſia, in Cõcilio agitur, Epiſcopis libera prorſus ſentiendi, vel diſſentiendi, affirmandi, aut negãdi facultas eſſe debeat: Cyprianus ante Concilium ſuos Epiſcopos monet, vt quiſq; liberam ſuã de mota cõtro-

uerſia ſententiã proferat, vt clarior veritas erũpat: neq; alter alterũ ſi ſecus ſentiat, quãdiu cõtrouerſia agitatur, nec dirẽpta eſt, iudicet, aut à ſua cõmunione tanquã Hæreticum ſemoueat, aut alterius Epiſcopi ſecus ſentiẽtis iudicem ſe conſtituat. Atq; hîc ſpectant cætera omnia Cypr. verba citata, quæ ſanè aliò nõ tendunt, quàm vt oſtendat rem in Concilio agitãdam: neque plenè eo Concilio iudicari, aut definiri, cùm tãtummodo Prouinciale eſſet: neque ante definitionem cuiuſquam hæreſis vitio obnoxiam eſſe.

Quapropter cùm ais, Cyprianũ in baptiſmate Hæreticorũ à Romana Eccleſia, imò à toto orbe Chriſtiano diſſidẽtẽ: charitatis tamẽ, ac cõmunionis vinculũ ſchiſmate abrũpere noluiſſe: ea cauſa fuit, quòd nec rem plenè definiuit, quãuis in eam vehementer declinaret, nec diu Stephano reſiſtere eſt auſus: ſed ſentẽtiã mutauit, ac Stephano cõſenſit. Deniq;, vt Auguſt. ait, pia illius humilitas, quæ Eccleſiæ ceſſit, & charitas, qua Eccleſiã amauit, fouendæ charitatis cauſa fuit. Sed quid tibi de Cypriani charitate abl̃ãdiris, qui Cypriani charitate ſpiritualiter perimeris? Ille & ſi aliud de baptiſmo ſentiret, quã cõmunis Eccleſię ſẽſus amplectɛretur: ab Eccleſia tamen diſcedere noluit, neque

ſe, aut Epiſcopos ab illius vnitate ſeiungere: ſed tandem ab Eccleſia doceri eſt paſſus. Tu vix in hæreſim prolapſus, ſtatim diſceſſionem ab Eccleſia paras, neque tuo damno contentus, alios quoque Epiſcopos tecum in ſchiſma rapere conaris.

Dicis Cyprianum plurima cum ſua laude, Stephani non omnino diſcretum zelum in ſchiſma ruentem ſua patientia, & charitate ſuperaſſe; atque in hoc ab Auguſtino plurimùm commēdari, atque in exemplum cæteris proponi. Equidem Cypriani humilitas aliqua laude digna fuit, quòd ſtatim poſt errorem in ſchiſma non proruperit: at exigua hæc laus eſt, quæ abſque vitio ab eo minimè comparari potuit. Propterea laudat Cyprianum Auguſtinus, quòd prudenter ſeipſum, & Epiſcopos à ſchiſmate ſeruauerit; non laudat, quòd ſchiſmati anſam præbuerit, aut errorem amplexus fuerit: *Sed ſi qua* (inquit) *in eius lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugata fuit.* Commēdat ille poſteris Cypriani humilitatem, qui Pontifici cedere maluit, quàm Eccleſiæ vnitatem, ſecta excitata, lacerare. Non tamen Cypriani errorem, aut erroris patrociniū in exemplum

Aug. de bapt. cōt. Donat. libr. 1. c. 18.

plum

plum proponit,quem & charitatis vbertate, & paſſionis falce compenſatum eſſe affirmat. Denique quod Auguſtinus in Cypriano commendat;non illud eſt, quod ipſe obtendis:nimirum quòd errorẽ ſimul, & charitatem foueret:aut hæreſim cum Eccleſiæ vnitate ſociaret:id enim vel impoſſibile eſt, vel non commendatione,ſed magis vituperatione dignum exiſtimari debet. Id igitur tantùm Auguſtinus laudat,quòd erroti 80. Epiſcoporum Concilio munito, non adeo pertinaciter adhæſerit, quòd propterea ab Eccleſia diſcederet, ac ſaniori Pontificis iudicio non acquieſceret. At quamuis Auguſtinus Cypriani humilitatem nonnihil laudauerit; nunquam tamen Stephani pontificis zelum in falſo dogmate extirpando, velùt indiſcretum accuſauit, quem tu, pro tua modeſtia, tanquam immoderatum carpis. Neque enim pontifex ſuis excommunicationibus in malum ſchiſmatis ruebat; ſed quod ſui muneris,ac officij erat, fidei incolumitati conſulens, errorem tantum perſequebatur, quem cum Stephano, tota deinceps Eccleſia perſequuta fuit.

Cæterùm quod ex malè vexato Cypriani exemplo à ſummo pontifice,ac Reuerendiſſimis Epiſcopis obtinere niteris; vt te &

Sectariorum conuenticula, quamdiu error incolumis eſt, ad ſuam communionem recipiant, ac pacem vobiſcum ineant: fruſtra
Paul. 1. Cor. 6. id poſtulas, Paulo in primis reluctãte, atque exclamante. *Quæ ſocietas luci ad tenebras, aut quæ conuentio Chriſti ad Belial. Nolite iugum ducere cùm infidelibus: neſcitis quòd modicum*
Ioan. ep. 2. *fermentum totam maſſam corrumpit.* Ioanne id prohibente, ac iubente. *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis.* Ac tandem Eccleſia id nõ ferente, quæ innatas cum hęreſum ſeminibus ini-
Gen. 3. micitias gerit, Scriptura teſte, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.*

Tuum & Sectariorum eſt Auguſtino obſequi, & qui ſchiſmatũ auctores eſtis, ſchiſſmata conuellere, & idipſum nobiſcum ſapere. Non nos à vobis, ſed vos à nobis diſceſſiſtis, ac diſſecti eſtis. Tuum eſt, M. Antoni, Cyprianum imitari, qui necdum definitum errorem amplexus, in eo permanere noluit: ſed ſeipſum Eccleſiæ ſeruauit, atque agnitum errorem martyrij cruore abſterſit. Tu verò cũ in errores toties ab Eccleſia definitos impegeris, & doctrinam à toto orbe damnatam diſſeminaueris: non ſolùm ab Eccleſia diſſutus præceps in ſchiſma ruiſti: verùm,

verùm, quod crimen auget, in errore conſtans, ac pertinax lapſum tuum necdũ agnoſcis. Tu Eccleſiæ pacem, ac vnitatem turpi ſchiſmate abrupiſti, & nobis, qui in pace degimus, pacem, ac vnitatem prædicas, quam proprij ſanguinis diſpendio tibi comparare deberes. Tu nobis concordiam, ac charitatẽ commendas, qui publica defectione cõcordiam, ac charitatem violaſti. Cõmunionem ab Eccleſia Catholica, ſaluis errorib. petis ne ſchiſma augeatur: cur potius errores ipſos quibus ſchiſma efficitur, ac communio impeditur, in te ac aliis non interimis? Speras breui futuram vnionem omnium Eccleſiarum: tu illis præi, monſtra iter, ad Catholicam redi: vt ſi quæ fortè te ducem ſequuntur, qua ad vnionem pergendum ſit, videant.

Quamdiu, M. Antoni, hæc vána, tumida, ac ſine conſilio conſilia pones in anima tua, quæ dolorem in corde tuo, ſi iam non pepererunt, prope diem paritura ſint? Certè vides, quàm iniqua, ac impia fuerint huius tui conſilij capita, quæ tuæ profectioni, & apoſtaſiæ te ſtrauiſſe iactas. Cernis iam in hoc tuo diſceſſu non Deum, ſed dæmonem potiùs te vocantem ſequutum fuiſſe: neque iuſtas vllas ſuſpicionis cau-

ſás habuiſſe, quibus de Romanæ religionis veritate iure dubitare poſſes. Cernis profectò intimum illud deſiderium vnionis: ſeu potiùs confuſionis Hæreticorum, & Catholicorum: erroris, & veritatis: hæreſis, & fidei, quod innatum tibi dicis; non à Patre luminum, ſed à tenebrarum principe tibi inditum fuiſſe: neque Romanæ Eccleſiæ errores, ac abuſus: neque doctrinæ noſtræ ab antiqua diſſenſum: neque veram, vt putas, Sectariorum doctrinam, neque nouam vllam articulorum fidei fabrefactionem: neque necis imminentis periculum: neque vocem vllam cœleſtem: neque charitatem Chriſti, qua te falsò vrgeri exiſtimas; neque falſum Papatum, neque fugam errorum; quæ omnia ſolùm Pontificis odium, ac omnium Hæreticorum mater ſuperbia tibi peperit, vllam tibi iuſtam conſilij rationem miniſtrare potuiſſe, qua à nobis diſcederes. Quamobrem ſaniori Conſilio vſus ad nos redi; & contractam nomini tuo, ex turpi hac diſceſſione maculam, fœliciori ad Catholicam Eccleſiam reditu abſterge.

CONSILIVM.

Reditus.

FVgæ Conſilium imprudenter inieras, M. Antoni, cùm Spalatenſem Eccleſiam, & cum ea ſimul Catholicam deſereres; non Deo auctore auſpicatum, ſed vel dæmone ſuaſore præcipitatum, vel ab ingenti odio extortum, vel tandem ab humano ſpiritu excogitatum: quo ſanè tantùm tibi damni, ac dedecoris comparaſti, quanta fortè eſt ipſa tui lapſus grauitas, & Eccleſiæ ſcandalum, quo infirmas conſcientias vulneraſti, ac teipſum ſeueriſſimis Diuinæ vltionis pœnis adſtrinxiſti. Iam verò ſedatis odiis, redditaque animi pace, re maturiùs, ac profundiùs (vt debes) apud te conſiderata: nouum, ac ſalubrius reditus Conſilium tibi ineundum eſt, quo exiſtimationi tuę conſulas, quo illata damna inſtaures, quo teipſum tandem ab horrendo viuentis Dei iudicio liberes. Illud autem non à meipſo confictum, aut elaboratum; Sed Deo, Scripturis, Patribus ſuadentibus tibi amplexandum propono: vt ſi eo (vt debes) vti volueris: pro famæ, honoris, bonorum, meritorum, ſalutis iactura accipias de manu Domini

duplicia, & diſcant poſteri non adeò clauſa eſſe Diuinæ pietatis, ac miſericordiæ viſcera, quin longè eiectum adhuc recipiant, ac euomitum reſorbeant. Sin minùs, grauiùs ad plurimorum exemplum, ac ſalutem pereas: & quandoquidem tu tibi perditionis auctor eſſe vis, opportuna aliorum auxilia horribiliorem tibi damnationem augeant. Denique qui multorum opem in tuę ſalutis diſcrimine contempſiſti, multorum etiam pōdere profundiùs in barathrum demergaris.

Porrò reditus conſilium Scripturæ, Patres, Concilia, ratio denique ipſa tibi perſuadent: ſi tamen veram Chriſti Eccleſiam inquiris, in qua fixus permanere debeas, quod paucis tibi declarare aggredior. Principiò tamen ex Apoſtolico Nicæno, & Conſtantinopolitano ſymbolo ſtatuamus M. Antoni, Eccleſiam eſſe vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam: atque id tanquam eſſentialem fidei articulum omnibus ſub infidelitatis pœna credendum proponi. Ex quo alterum, quod certiſſimum eſt colligamus: nempe quod cùm hæc de Eccleſia fides cunctis Eccleſiæ ætatibus neceſſaria ſit, id omnibus credendum eſt, Eccleſiam Chriſti ſemper

fuiſſe

fuiſſe,ſemper eſſe, ac ſemper futuram eſſe; nec vnquam interire, aut intermori poſſe; denique Eccleſiam ſemper vnam, ſemper Sanctam,ſemper Catholicam, ſemper Apoſtolicam fuiſſe,eſſe, ac futuram eſſe;& hanc ſolã eſſe Chriſti Eccleſiã, quam inquirere debes. Hæc idcirco præfari oportuit, ne fruſtrà in indagãda Chriſti Eccleſia defatigaremur.

Iam verò totius noſtri Conſilij ſumma ab eo pendet; vt quænam vera Chriſti Eccleſia iudicanda ſit apprehendas, apprehenſam verò, tibi amplectendam proponas. Tu Sectariorum, nos Romanam Eccleſiam veram eſſe dicimus, incorruptos iudices adeamus,& Eccleſiæ cauſam candidè, ac legitimè agitemus, vt inde optimum vel ſtatus, vel reditus Conſilium colligas.

Vnam eſſe Eccleſiam nobiſcum, & cum Apoſtolis fateris: hanc vnitatem ex triplici ordine oriri docet Paulus. Primò, ex omnium Eccleſiæ membrorum vnione ad inuicem. Ita Roman. 12. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto : ſinguli autem alter alterius membra*,& 1.Cor. 10. *Vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus.* Secũdò ex totius corporis connexione, ad vnum caput viſibile, quare idem Apoſtolus illos damnat, qui hoc capite contẽpto, ſine capite viuunt, vt

Rom. 12.

1.Cor. 10.

vt idem ad Coloſſ. 2. ait. *Et non tenens caput ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructũ creſcit in augmentum.* Tertiò ex omnium membrorum ſimul cum capite participatione in eundem ſpiritum fidei. Vt idem affirmat. 1. Cor. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt. Credidi propter quod loquutus ſum.* Et Epheſ. 4. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis; vnum corpus, & vnus ſpiritus.*

1. Cor. 4. Epheſ. 4.

Eia nunc candidis oculis intuere, apud quos triplicem hanc Eccleſiæ vnitatem obuiam habeas. Equidem ſi Sectarios ſpectes; tam longè à prima corporis vnitate abſunt; vt diuerſum, ac multiplicem prorſus Eccleſiæ ſtatum inter ſe diſpertiantur. Quis enim ignorat Lutheraniſmum, & Caluiniſmum (cæteras ſectas prætereo) non tam nomine, quàm religione inter ſe diſſentire, ac diuerſa Eccleſiarum corpora conſtituere. Id ſole clarius demonſtrant innumeri ferè libelli vtrinque euulgati; quibus ſeſe Lutherani, & Caluiniani mutuis conuitiis proſcindunt, damnant, anathematizant, diris deuouent. Quòd ſi horum quemlibet ſeorſim ſpectes: Lutheraniſmum in centum, & ampliùs ſectas excreuiſſe inuenies: quarum quæque altera damnata Chriſti Eccleſiam ſibi vendicat

dicat. Hinc enim Lutherani rigidi, Lutherani molles, Flauiani, Maioriſtæ, Oſiandrini, Antinomi, Stankarani Anabaptiſtæ; qui in ſexdecim ſectas diſpertiti ſunt: & innumera ferè Sectariorum inter ſe pugnãtium acies, haud ſecus quàm ex equo Troiano prodierunt. Caluiniſmus Caluinomaſtigas, Caluiniſtas pacificos, Cauſſarios, Conſiſtoriales, Puritanos, Caluinopapiſtas, & alios: qui teſte Staniſlao Roſcio quadragenarium prope numerum excedunt, inter ſe Eccleſiæ, & religione diſſidentes peperit.

Vnitatem capitis vrgerem, niſi eam contra Apoſtolum, contra Scripturas, contra Patres è medio tolleres: id tamen expendere deberes, non humanam, ſed diuinam Chriſti vocem eſſe, quæ Eccleſiam ſub vno capite viſibili conſtituit. Quid enim illud Matthæi, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Quid aliud Ioannis, *Simon Petre diligis me, plus his, paſce oues meas.* Inſinuant? Præterquam ex Chriſti inſtitutione profectum eſſe, vt vnum in Eccleſia caput eſſe debeat, quod Petro ſuccedat. Quid Patres? Quid Concilia? Quid antiqua Eccleſia magis commẽdant? quàm vnum eſſe in Eccleſia viſibilem præſidem, ac Paſtorem, à quo omnes Sectarij, vt perſpi

Matt. 16.
Ioan. 21.

perſpicuum eſt, abhorrent. Sed hæc fuſiùs non perſequor, quia alibi tibi demonſtranda erunt.

Venio ad vnitatem Spiritus fidei, quem certè negare non potes Chriſti Eccleſiæ ita neceſſarium eſſe: vt, eo extincto, Eccleſiæ neceſſariò interitus ſequatur. Qualem apud Sectarios fidei vnitatem reperies; qui aperto, ac immortali bello in grauiſſima fidei doctrina inter ſe pugnant? Percurre Caluinianorum, ac Lutheranorum dogmata de Sacramentis, de iuſtificatione, de Cœna Dominica, de Prædeſtinatione, de prouidentia Dei, de perſona Chriſti, de Aſcenſione ad Cœlos, de omni præſentia Corporis Chriſti, & alia, quæ ad ipſa fidei fundamenta pertinent: Vide annon adeo inter ſe diſſentiant, vt nulla vnquam Principum potentia, nulla Magiſtratus auctoritas, nulla colloquia, quibus ad concilianda mutuæ fidei dogmata frequenter vſi ſunt, doctrinarum bellis finem imponere; imò nec belli inducias obtinere potuerint.

Fortè mihi non credes: audi quæ Ioannes Sturmius Sectarius, de ratione ineũdæ concordię pag. 2. ſcribit. *Inter Eccleſias* (ait) *Euãgelicas præcipuæ cõtrouerſiæ hæ ſunt de Cœna Domini, de prædeſtinatione, ſeu prouidẽtia Dei, de perſona*

ſona Chriſti, de eius Aſcenſione ad Cœlos, déque ipſius ad dexteram Patris *ſeſsione, déque quibuſdam aliis; quibus præcipui fidei noſtræ articuli labefactantur.* Tum poſteà pag.24. *Lutherani, libris publicè editis, Eccleſias Anglicanas, Gallicas, Belgicas, Scoticas, Helueticas, tanquam hæreticas condemnant: eorũm-martyres, martyres diaboli vocant: minúſque Turcis, ac Scythis ferendos eſſe ſtatuunt.* Expende etiam quod Ioannes Ietzlerus Sectarius & ipſe, de Lutheranorũ, & Caluinianorũ diſſidiis teſtetur, *litigãdi*(inquit)*ſcribẽdi, declamandi, diſputandi, condemnandi, excommunicandi inter Lutheranos, & Caluiniſtas nullus eſt finis.* *Ioã. Ietzler. lib. de diutur. bel. Eccleſ. pag. 80.*

Lutheranorum verò inter ſe diſſidia, atque in grauiſſimis fidei rebus antilogias, quis facilè recenſere queat? Quámque hoſtiliter de Sacramentis, de numero Sacramentorum, de communione ſub vtraque ſpecie, de tranſſubſtantiatione, de Miſſa, de Canone Miſſæ, de Confeſſione, de Pœnitentia, de Satisfactione, de Sacerdotibus, de Eccleſia, de Conciliis, de meritis, de Sanctis, de libero arbitrio, de Feſtis, de Epiſcopis, & aliis ferè innumeris dogmatibus inter ſe digladientur: quæ omnia tum ipſa rei experientia teſtatur, tum Ioannes Faber copioſo catalogo comprehendit.

hendit. Habes in Anglia, Puritanorum, & Caluinopapiſtarum iurgia; quibus inter ſe, & ab aliis Caluiniſtis diſſident: plura enim perſequi non lubet.

Quid igitur? Túne tam graui fidei ſchiſmate inter Sectarios graſſante; in tot acephalarum Eccleſiarum ſciſſuris, ac diſſectis corporibus: vnam te Chriſti Eccleſiã inuenire poſſe ſenties? Vera Chriſti Eccleſia vno ſpiritu, vna fide, vno ore Deũ honorificat (vt
Rom. 15. ait Paulus.) At vbi plura Eccleſiarum corpora plures ſpiritus, plures fides ſunt, quo pacto Deus vno ore honorificari poteſt? quæque enim Eccleſia os ſuum habet, quo dogmata ſua extollat, quo doctrinam ſuam magnificet, quo Deo tandem obmurmuret.

Meminiſtin' aliquando plebem inſolito alicuius rei ſucceſſu perculſam, vel timore perterritam repente exclamantem audiuiſſe? Cui cum ea tantùm clamoris ratio cuique inſeruiat, ad quem ipſe inæqualis cuiuſque animi impetus pellit; nihil præter confuſum, ac infauſtũ ſonum reddit. Huic perquam ſimile eſt, tot ſectarũ; quæ per orbem vagãtur clamoroſum murmur. Etenim cùm hæ nulla aut fidei, aut doctrinæ vnitate ſibi inuicem reſpondeant: ſed quod proprij Spiritus impetus miniſtrat, id tantummodo

diſſo

diſſonantibus prorſus doctrinarum clamoribus conciſè eructent. Quis illas Deo obmurmurare potiùs, quàm ipſum aut honore, aut laude aliqua proſequi non ſentiat?

Hæc Eccleſiarum inter ſe corpore, doctrina, fide, religione tam varia multiplicitas apud Sectarios ita nota, ac perſpicua eſt; vt nulla eam aut ratione excuſare, aut tergiuerſatione celare valeas: ex quo id ſanè tibi ſtatuendum ſit, apud eas vnam, ac veram Chriſti Eccleſiam minimè quærendam eſſe.

Porrò ſi perfectæ huius Eccleſiæ vnitatis inueniendæ ſtudio detineris; eam profectò non alibi, quàm in Romana Eccleſia te quærere oportet; in qua eam ipſam integrã, ac omnibus ſuis partibus abſolutam facilè animaduertas. Primò quidem ea corporis vnitate prædita eſt, quæ velut indiuiſa Chriſti tunica nunquam diſciſſa, in ſectas ebullierit. Quot à principio hæreſes, quot Arrianos, quot Donatiſtas, quot Manichæos, quot Sabellianos, quot Catharos, quot Monothelitas, velut inſtructa acie aduerſus Romanã Eccleſiam pugnantes legiſti, vt hanc Romanæ Eccleſiæ arcem expugnarent, ac vnitatem illius proſcinderent? At num ali-

quando eam hæreſibus victam ſuccubuiſſe audiſti? Quin potius ſemper integra, ſemper incorrupta, acceptam ſemel hác integri corporis vnitatem retinuit, quam etiam cæteris communicauit: ita vt Optato dicere licuerit. *Scire debes in vrbe Roma, Petro primam Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, qui Cephas appellatus eſt: in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur.*

Opt. libr. 2. cont. Parm.

Cæterùm vbinam alteram viſibilis capitis vnitatem, præterquam in Romana Eccleſia reperias? Ea enim ſola eſt, quæ vniuerſa Eccleſię membra, vnius Romani Pontificis tanquam vicarij Chriſti, capitis imperio ſubiicit: quam vnitatem propterea Cyprianus commendat ita ſcribens. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petram Domini voce fundata.* Denique in ea ſola perfectam fidei vnitatẽ, qua potiſſimùm Eccleſiæ vnitas ſubſiſtit, perſpicias. Vbi enim tam grauẽ, tam cõſtantem, tam perpetuũ in eadẽ fidei doctrinâ colenda, tradenda, diſſeminãda conſenſum reperias præterquã in Rom. Eccleſia? Huius rei primum argumentũ tibi ſit communis ipſe omnium Eccleſiarum orthodoxarum conſenſus: quæ etſi lõgè inter ſe diſſitæ, in vnam

Cypr. ep. 40.

tamen

tamen Romanæ fidei doctrinā ſemper conſpirare viſæ ſunt. Vide, M. Antoni, num apud Catholicas Eccleſias aliud Gallia, aliud Hiſpania, aliud Germania, aliud Polonia, aliud Anglia doceat: quàm quod ſemel Roma docuit, ac docet. Perpende quotquot inter orthodoxos Eccleſię Patres, ac Theologos annumerantur, quotquot inter Eccleſias Catholico nomine, vel olim potitæ ſunt, vel etiamnũ potiuntur, quotquot denique inter fideles, ac orthodoxos habentur; omnes vnā Romanam fidem coluerunt, omnes in eam conſenſerunt, omnes eandem docuerunt. Annon hinc animaduertis in Romana Eccleſia præclarum illud veræ Eccleſiæ teſtimoniũ elucere, de quo Paulus, *Obſecro vos fratres, vt non ſint in vobis ſchiſmata: ſed ſitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia.* Vbi id apud Sectarios reperias; quorum fides & annuæ, & menſtruæ ſunt. Et, vt Hilarius ait; *tot ſunt fides, quot voluntates?* Paul. 1. Cor. 1.

Alterum porrò argumentum tibi ſuppeditat mirabilis ipſe Conciliorum præſertim generalium conſenſus; quæ cùm vnam Eccleſiæ fidē, velut vno ipſius ore pronunciēt, totũ Chriſtianũ orbē in Romana fidē olim conſpiraſſe, ac etiamnũ cōſpirare teſtantur.

Decem & octo generalia Concilia (prouincialia, ac regionalia prætereo) variis locis, & Eccleſiæ temporib. coacta fuiſſe non ignoras, in quibus ex omnib. terræ partibus Epiſcopi conuenere. Quid? Annō illud mirabile veræ Eccleſiæ argumētum tibi videri debet, quòd vniuerſa tam priora, quàm poſteriora Concilia ex tot diuerſarū nationū Patrib. collecta; in vnā Romanā fidem ſemper collimarint, ac ſummo ſemper conſenſu eadem ſemper cum ea ſenſerint, dixerint, ſtatuerint? Ex quo illud etiā tecum ſtatuere debeas, ſuadēte præſertim Auguſt. Romanam Eccleſiam, ſolam Chriſti Eccleſiam eſſe. *Audis* (inquit ille) *omnes vno corde, vno ore, vna fide id ipſum dicere; non diſſonante conteſtatione firmatum.* Quapropter ſi hāc in vna fidei doctrina, orbis Chriſtiani conſenſionem Auguſtinus ſemper adeo magnificecit; vt eā non niſi in vera Eccleſia inueniri poſſe exiſtimaret, ac propterea ab ea ſe in Romanę Catholicæ Eccleſiæ gremio retineri diceret, his verbis. *Multa ſunt, quæ me in gremio Catholicæ Eccleſiæ iuſtiſsimè tenēt: tenet conſenſio populorū, atque gentium.* Cur eadem te ad Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ ſinum, à quo nō pridem excidiſti, reuocare non debeat?

Aug. l. 1. cōtra Iul. Pelag.

Idem cōtra ep. fundam. c. 4.

Habes apud quos Eccleſiæ vnitas quærenda

renda ſit. Iam à quibus illius ſanctitas habeatur, quod alterum eſt veræ Eccleſiæ teſtimonium, breuiter indagemus. Veram Eccleſiam non tantùm fide, quæ ſine operibus mortua eſt: ſed etiam charitate, ac morum ſanctimonia ſanctam eſſe docet Apoſtol. *Elegit nos in ipſo* (ait) *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius, in charitate.* Atque idem confirmat ad Coloſſ. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* Denique Petrus quam ſanctitatem à nobis Deus exigat, explicat his verbis. *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem: in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam: in abſtinentia autem patientiam: in patientia autem pietatem: in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis charitatem.* Morum verò ſanctimonia plerumque à Deo clariſſimis miraculis illuſtrari, Scripturæ tradunt. Helias enim ſanctus adhuc ſuperſtes plurima Dei virtute, ſigna patrauit: Et Eliſeus vita defunctus, nedum viuens miraculis à Deo illuſtratus fuit. Crebra etiam miracula in Eccleſia tam à viuentibus notæ ſanctitatis viris, quàm ad ſanctorum defunctorum tumulos exhiberi

Ad Eph. 1.

Ad Col. 3.

Petr. ep. 2. c. 1.

narrant Auguſt. Retract. libr. 1. Chryſoſtomus contr.gent.& D. Ambr. tract. 3. de SS. Geruaſ. & Prothaſ. Quorum ampliſſimos Cathalogos apud Gregor. Turon. Bedam, Paulum Diaconum, ac etiam recentiores hiſtoricos reperies. Ea verò cùm ad verā Eccleſiæ tum fidem, tum ſanctimoniam declarandam à Deo fiant; vt teſtatur Auguſt. his verbis. *Porrò autē quæcumque miracula ſiue per Angelos, ſiue quocunque modo ita diuinitus fiunt, vt Dei vnius, in quo ſolo beata vita eſt cultum, religionemq́ commendent:* proculdubio Eccleſiam in qua fiunt, veram eſſe demonſtrant.

Auguſt. Lib. 10. de ciuit. c. 12.

Iam verò oculos in Sectariorum Eccleſias coniice, ac diligentiùs intuere num in iis aliqua ſanctitatis, ac Diuinorum miraculorum teſtimonia appareant, ex quibus apud te veram Eccleſiam ſibi vendicare queant. Equidem ſi de morum ſanctimonia res eſt, non vrgeo, quæ de Lutheranorum, ac Caluinianorum vitiis, ac ſceleribus ne quidem fandis tradunt Philippus Melancht. ad cap. 6. Matth. Tilmannus Heshutius, libro, cui titulus eſt, veræ, & ſanæ confeſſionis. Conradus Reis libr. Germanico contra Heſſum, Tigurini in confeſſione, Hieronymus Boleſcus in vita Caluini, Beza in epigr. liber inſcriptus de furoribus Gallicis, Franciſc.

ciſ. Romulus in reſponſ. & demum Iacobus Andreæ Conc. 4. ad ca. 21. Luc. Qui eo vſque illorum horrendam, Epicuream, beſtialem vitam, omnium flagitiorum genere refertam inſectantur; vt in iis (vt aiunt) præter ſuperbiam, luxum, faſtum, luxuriam veſtium, vanam gloriam, inuidum zelum, Religionis abuſum, miniſterij contemptum, neglectum omnis diſciplinæ, iuramenta, blaſphemias, ſchiſmata, diſſidia, ac boni omnis diſſipationem nihil omnino Chriſtiani hominis relinquant. Non hæc, inquam, perſequor: ſed illud vnum ſufficiat, quòd cùm Euangelica conſilia expungant, diuina præcepta impoſſibilitatis accuſent, liberum hominis arbitrium extinguant, ac demùm bona opera à Chriſtiano orbe expellant, quæ apud Sectarios ita ſe habere non ignoras, omnẽ procul dubio ad ſanctitatem viam intercludunt, & ſuas Eccleſias, omni prorſus ſanctimonia carere declarant. Túne igitur apud illos ſanctam Eccleſiam latere exiſtimas, vbi religionis ſtatꝰ in tot ſectas diſcerptus, nulla fide, ac virtute imbutus totus ad vitia profluit? vbi operum iuſtitia vileſcit? Pro ieiuniis, ventris ingluuies: pro Chriſtiana honeſtate, luxus: pro caſtitate, libido: pro carnis maceratione, omne impudicitiæ

genus: pro humilitate, tumor, ac tartarea ſuperbia: pro virtutibus, vitia: demùm pro Euangelica ſanctimonia, Epicurea, ac beſtialis vita colitur, ac laudatur.

Quid apud illos Diuina miraculorum teſtimonia quæris? Qui cùm nec veram fidem, nec morum ſanctimoniam habeant, Diuino ſe teſtimonio prorſus indignos declarant? Equidem iam pridem ab iis aliqua miracula expectata ſunt; qui ſe nouos orbis Apoſtolos, & Eccleſiæ reformatores extraordinariè à Deo excitatos iactant: vt nouum Apoſtolatum, ac nouam orbis reformationem, inſtar Apoſtolorum, ſignis, ac virtutibus conteſtarentur. At fruſtrà id

Eraſmus in diatribe. diu expectatum fuit. Nam vt Eraſmus, & ipſe Sectarius in Diatribe de libero arbitrio teſtatur. *Apoſtoli quoniam excutiebant viperas, ſanabant ægrotos, excitabant mortuos, impoſita manu dabant dona linguarum, ita demum creditum eſt, & vix creditum eſt illis paradoxa docentibus. Nunc autem cùm iuxta communem opinionem, Lutherani adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum ſanare potuerit.* Porrò huius rei cauſa

Irenæus li.2.c.39 eſt, quam docet Irenæus, nimirum: quia Deus Hæreticorum mendaciis, ſuis miraculis, minimè fauet, aut ſuffragatur.

Iam

Iam verò ſi paululùm, abſterſa erroris caligine, puros oculos ad Romanam Eccleſiam deflectas: quantam morum ſanctimoniam, quæ ſtudia, exercitationeſque virtutum, qualem vitæ innocentiam, ac animorum munditiam, quàm arcta ieiunia, quàm aſperas carnis mortificationes, quàm exactam diuinorum præceptorum obſeruantiam, quàm perfectum conſiliorum cultum, atque Apoſtolicæ vitæ exempla, ac demùm quàm perfectè omnium virtutum genera, quæ totius ſanctitatis ſummam perſtringunt, in ea enitere conſpicias? Hæc ſanè tu ipſe negare non potes, ſæpiſſimè tum apud Ieſuitanæ Societatis alumnos, quibuſcum degebas: tum apud cæteros Religioſorum Ordines, atque etiam inter ipſos Eccleſiaſticos, ac ſeculares homines aſpexiſſe.

Quòd verò poſt Apoſtolos in Romana Eccleſia, ſingulis quibuſque temporibus miracula; tum ad fidei confirmationem; tum etiam ad illuſtrandam Sanctorum gloriam à Deo edita ſint, equidem te ignorare non puto: tam enim ampla, ac perſpicua ſunt, vt copioſiſſimi apud vnamquamque Eccleſiam, publica fide, inſtructi catalogi leguntur: quæ ipſis cæcis Hæreticorum oculis lucem adferre poſſent; ſi modò vera videre

vellent. Quapropter niſi hæreticorum, ac Gentilium more ad præſtigias, ac dæmonum illuſiones, ea referre velis (quod nulla ratione præſtare vales) ſi ipſam operis ſubſtãtiam, ſi modum, ſi finem illorum ſpectes, planè illud tibi vel certiſſimum perſuadere debent, ſolam Romanam Eccleſiam veram Chriſti Eccleſiam eſſe, quæ Diuinis hiſce teſtimoniis non obſcurè probatur.

Sed iam 3. veræ Eccleſiæ teſtimonium paucis explicandum aggrediamur. Veram Eccleſiam, Catholicam credis, M. Antoni, ergo ſemper Catholica fuit, ſemper Catholica eſt, ſemper Catholica erit: ea enim eſt fidei ratio, vt temporibus non mutetur. Hinc falſam illam tuam Catholici nominis interpretationem euincimus, quam in ſeptimo capite Conſilij inſectati ſumus: nam ſi propterea Eccleſiam Catholicam credis, quòd ea toto orbe locorum ſpatiis diffuſa ſit, certè fidei tuæ falſum ſubeſſe euinceris: neque enim verum eſt Eccleſiam hodie eſſe toto terrarum orbe diffuſam, cùm apud plurimas orbis plagas, quas Turcæ, Saraceni, Indi plerique incolunt, perierit. Tu verò id tibi magis perſuadere debes, qui non ſolùm Romanam Eccleſiam, quæ Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, ac alias

orbis

orbis regiones, ac regna complectitur, à vera Chriſti Eccleſia expellis, ſed etiam tuam Eccleſiam veram eſſe putas, quæ anguſtis locorum terminis concluſa eſt.

Vera igitur Catholici nominis ratio, qua Eccleſiam Catholicam credimus, non circa loca, ſed dogmata verſatur; atque ea eſt, quam docet Vincentius Lirinenſis ita ſcribens. *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè, propriéque catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat; quæ omnia verè, vniuerſaliterque comprehendit: ſed hoc ita demùm fit ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Igitur Catholica Eccleſia, ea tantùm tibi eſſe debet: quæ omnium locorum, temporum, ac perſonarum vnam, eandemque fidem, ac doctrinam complectitur: Ita vt ea locorum vniuerſalis ſit, quæ vbicumque locorum diffuſa eſt, vnam fidem, ac fidei doctrinam tradit: Temporum, quæ Catholicam doctrinam per omnia tam priora, quàm poſteriora tempora eandem tuetur: Perſonarum tandem, quæ omnium in eadem fide, ac dogmatibus conſenſum ita complectitur; vt nihil credendũ præcipiat, niſi quod ab omnib. creditũ eſt. Hinc Nicæna ſynodus apud

Vincent. Lirinen. adu. hæreſ. ca. 3.

apud Athanaſium ita docet. *Eſt enim ibi, vt Patres tradiderunt, veræ diſciplinæ, ac magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiant: qui igitur hoc animo non ſunt, mali potiùs, quàm boni præceptores appellari debent.*

Quod igitur ad 1. Catholici nominis mēbrum ſpectat: ſi illud cum Sectariorum Eccleſiis conferas, planè eas ab omnium locorum fide tam longè abeſſe ſenties; vt non modò illis vna fides non ſit vbique diffuſa: verùm iuxta vrbium, ac Prouinciarum numerum, ac diſtantiam fidem diſſectam habeant; ita vt id Sectariis obtigerit, quod Iſraëlitis Dei deſertoribus accidiſſe narrat
4. Reg. 17. ſacra Regum hiſtoria. *Vnaquæque Gens fabricata eſt Deum ſuum &c. Viri Babylonij fecerunt Socothbenoth: viri autem Cuthæi fecerunt Nergel; & viri de Emath fecerunt Aſima*: deni-
Hierem. 11 que iuxta Hieremiæ querimoniam; *iuxta numerum ciuitatum, ſic erant Dij Iuda.* Hoc planè modo Sectariis accidere videas, qui vbi ſemel à Catholica Eccleſia receſſerunt mox diſpertita fide, plures ſibi fidium magiſtros, velut Deos è cœlo delapſos colere cœperunt: ex his vnaquæque gens, vrbs, regio fabricata eſt ſibi Deum ſuum, ſuum fidei auctorem, ſuum ſibi Apoſtolum elegit.

git. Viri Vvittembergenſes fecerunt ſibi Lutherum: viri Geneuenſes Caluinum: viri Baſileenſes Oecolampadium: viri Tigurini Zuuinglium; Ienenſes Illiricum: Lipſenſes Maiorem: Tubingenſes Brentium: Pinczouienſes Stankarum: Pruſſienſes Oſiandrum. Quid plura? Subortis præſertim inter Germaniæ ciuitates de Lutheri, & Caluini fide diſſidiis, fides quæ inter eos tantùm diſpertita erat, ita ſingularium locorum, ac vrbium eſſe cœpit; vt vix vlla loci vnitas multiplici tot ſectarum fidei poſſet ſufficere. Eò enim res peruenit, vt cùm eadem vrbs Lutheranos ſimul, ac Caluiniſtas capere non poſſet, ingraueſcentibus vtrimque odiis, ac factionibus: nunc Lutheri ſi Lutherana factio ſuperior eſſet: modò Caluini ſi illa ſuccumberet, fidem exciperet; atque ita frequenter fidem mutaret; vt priori nedum concepta ad nouam mox fidem raperetur. Fidei confeſſiones non cõmemoro, quæ tot ſunt apud Caluinianos, & Lutheranos, quot diſcrepantes inter eas ſectæ verſantur: ita vt alia ſit Tigurinorũ, alia Tubingenſium, alia Heluetiorũ, alia Geneuẽſium, alia Baſileenſium, alia Lipſenſium, alia Puritanorum, alia Caluinopapiſtarum fides, quam apud Sectarios, ita locis diffuſam cernis; vt nec ſta-

bilem

bilem in vnicā vrbe ſedem ſibi vendicet. Hanc ne igitur tu Catholicam, ac vniuerſalem fidem, & non potiùs ſingularem perfidiam eſſe ſenties?

Sed rem magis, ipſius fidei antiquitate, quæ alterum eſt Catholicæ fidei argumentum perſtringamus. Aſſeris, M. Antoni, Sectariorum fidem parum aut nihil ab antiqua Eccleſiæ fide diſcrepare. Hæc non tam tua, quàm omnium Sectariorum eſt vox; qui fidem diuturnis temporum ſpatiis corruptam, nunc tandem à nouis Apoſtolis inſtauratam tradunt. At contra, ego inde illos primū antiquam omniū temporum fidem haud colere euinco, quòd fidem non omnibus temporibus tribuunt. Dixi Catholicam Eccleſiā ita credi debere, vt Catholica nunquā eſſe deſierit: Catholica verò ſemper eſſe non potuit, niſi Catholicam omnium temporum fidem ſemper coluerit. Ex his ita vrgeo: Sectarij fidem omnium temporum non docent, ſed aliquando extinctam fuiſſe prædicant. Igitur nec Catholicam fidem colunt, quæ omnium temporum eſt; nec Catholicam Eccleſiam credunt, quæ omnium temporum fidem nunquam interruptam complectitur. Hinc manifeſtum eſt eos ab antiqua fide, quæ Catholica eſt, &

ab anti

ab antiqua Eccleſia longè diſſentire.

Idem argumẽtum duci poteſt ex Eccleſiæ reformatione, quam Sectarij tecum nobis obijciunt. Cùm enim reformatio tria tempora exigat: primum, fidei formatæ, vt ita dicam, & inſtitutæ: ſecundum, fidei deformatæ: tertium, fidei reformatæ. Primum tempus, ſi Luthero credimus, integra Apoſtolorum tempora non vidit: Caluinus verò illud vſque ad quingenteſimum annum extendit: mediũ tempus deformis, ac corruptæ fidei omnia illa tẽpora percurrit, quæ vel ab Apoſtolis, vel à quingẽtis annis vſque ad Lutherum, & Caluinum interfluxere, nimirum mille quingentos, vel centum & ampliùs annos. Iam verò ita vrgeo: Sectarij illã fidem prædicant, quæ priùs deformata, poſtea reformata fuit: Sed nemo qui Catholicam Eccleſiam credat, fidem antiquam, & Catholicam aliquando deformatam fuiſſe, aut deformari potuiſſe ſentiat, cùm ſit omnium temporum fides: ergo Sectarij fidem antiquam, & Catholicam non prædicant. Argumentum ſtabile eſt, M. Antoni, maximo fidei fundamento innixum: atque ex iis apertè confirmatur, quæ de Catholica Eccleſia priùs nobis credenda eſſe ſtatuimus: omnium tem-

temp

ſemper Catholicam fuiſſe, ſemper Catholicam eſſe, ſemper fore Catholicam. Quod ſi ita eſt, cùm Eccleſia non niſi ex Catholica fide, Catholica nuncupetur: ſicut nullo vnquam tempore verũ fuit dicere, Catholica Eccleſia non eſt, ſiquidem fidei veritas euaneſceret: ita nunquam dici potuit, fides Catholica non eſt, deformata eſt, periit (vt Sectarij credunt) ne Catholica eſſe deſierit. Qui igitur eam fidem, quæ aliquando deformata fuit, docent: non Catholicam, non antiquam, non veræ, ac Catholicæ Eccleſiæ fidem prædicant; ſed perfidiam diſſeminant.

At quamquam hæc argumenta à fide Catholicæ Eccleſiæ ducta, ita firma, ac ſolida ſint, vt nulla ratione à te dirui poſſint; hác tamen falſam, ac ementitam fidei antiquitatem à Sectariis iactatam luculentiùs demonſtrat ipſa Lutheranorum, ac Caluinianorum dogmatum, cum antiqua fide comparatio, quàm hîc proſequi non lubet: cùm hæc omnia fuſiſſimè diſputata habeas, in noſtris demonſtr. tom. 2. lib. 2. demonſtr. 2. & 4.

Denique ſi vniuerſalem perſonarum in vna fide conſenſionem apud Sectarios quæras, Quid Catholici conſenſus loco; præterquam

quam mutua in fide bella, ſchiſmata, contentiones, diſſenſiones, cædes inter eos reperias? Vix Lutherus Vvittembergæ apparuit, mox cum Andrea Carloſtadio fide, ac dogmatibus diſſidere cœpit: alterum quoque bellum aduerſus Tigurinos inſtruxit: Caluino è latebris erumpente, noua bella excitata ſunt inter Caluinianos, & Lutheranos: Vveſtphalum Caluinus, Caluinũ Vveſtphalus dãnat, Beza Brentiũ, Brẽtius Bullingerũ, Heshutius Clebitium, Caſtallio Bezam, Stankarus Petrum martyrem, Caluinum, Bullingerum, Tigurinos, & Geneuenſes; Kemnitius, Hildebergẽſes, Amſdorph⁹ Zvuinglianos, Schutz Sacramentarios, velut Hæreticos, infeſtantur.

Si ſeorſim Lutheranos inſpicias: vix Lutheri fides ad diſcipulorum aures peruenit, protinus perinde ac ſi maculoſa virga eſſet illorum oculis oblata, ipſam variam, ac diuerſis errorum maculis aſperſam concepere. Variam Caroſtaldius concepit, variam Zvuinglius, variã Illiricus, variam Melanchton, variam Oecolampadius, variam Oſiander; variam Spandebergius, variam Anabaptiſtę. Mox inter ſe diſſidere, mox diuerſa in Cathedris docere, mox alij alios

damnare, mox Hæreticos pronũciare, mox ex vrbibus expellere cœperunt. Sed ne id calũniæ loco ducas: audi quid Georgius Maior Luthericola, de hoc Lutheranorũm bello ſcribat. *Obyciunt* (inquit) *nobis Papiſtæ ſcandala, & diſſenſiones: ingenuè fateor eiuſmodi talia eſſe, vt ſatis defleri nequeant: fateor quoque ſimplicia corda, & pectora ita moueri, tentari, & moleſtari; vt omninò dubitet vbinam locorum in profundo demerſa veritas inuenienda ſit: an etiam vera Dei Eccleſia vſpiam adhuc ſuperſit, quæ ab aliis infidelibus populis diſtincta ſit.* Eadem quoque diſſidia præclarè deſcribunt Conradus Schlaſſelburgius, in proœmio Theologiæ Caluiniſticæ, & Tilmannus Heshuſius epiſtol. de exorciſmo.

Georgius Maior orat. de confuſ. dogm. 3.

Nec leuior eſt inter Sacramentarios pugna, ac Caluinomachia; qua fidem inter ſe diſcerpunt. Nec enim ignorare potes, quàm durè, ac pertinaciter inter ſe de fide pugnẽt Tigurini, & Geneuẽſes: Muſculani, & Campaniſtæ: Suenkfoldiani, & Caluiniſtæ: Puritani, & Caluinopapiſtæ: quot tragœdias excitent non quidem de leuibus fidei rebus; ſed de lege, & Euangelio, de omnipotentia Dei, de peccati cauſa, de Chriſti Diuinitate, de Mediatore, de iuſtificatione, de Sacramen

cramentis,& aliis grauiſſimis fidei dogmatibus: ita vt Nicolaus Gallus Sacramentarius in hæc verba proruperit. *Perit iuſto Dei iudicio non armis hoſtium, non inuictis Hæreticorum armis vera à nobis Religio, & Eccleſia: ſed noſtrorum inter nos perfidia, infidelitate, & iniuria.*

Nicolaus Gallus in præfat. apolog. de maieſt. hominis.

Quamobrem ſi ſeriò,ac maturè apud te verſare velles, M. Antoni, grauiſſimas in fide diſſenſiones, quæ apud Sectarios regnant, contradicendi libidinem, contentionum æſtum, pugnantes ſententias, quibus inter ſe dimicant, ac fidem diſpertiunt; haud ſanè inuitus in eam ſententiam inccederes,vt apud illos veram Chriſti Eccleſiam non eſſe,minimè dubitares.

Iam verò oculos ad Romanam Eccleſiam conuerte,ac prudenter velut è ſpecula contemplare, quære, inueſtiga: num integra, ac perfecta illius fides ſit: num Catholica; num omnium locorum vniuerſalis: num omnium temporum antiqua:num omnium perſonarum ſibi conſentiens. Hæc tibi facilè perſpecta erunt ſi præter ea, quæ paulò ante de ipſius Romanæ fidei vniuerſalitate dicta ſunt,his quoque animum adhibeas. Primùm quidem negare non potes, Romamam Eccleſiam,ac proinde fidē; eam fuiſſe,

quam Athanaſius in ſymbolo Catholicam vocat,quámque paſſim Cyprianus Irenæus, Opt.Ambr.Hieron.ac cæteri Patres Catholicam appellant,de qua præſertim Auguſtinus ita ſcribit.*Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio,& eius Eccleſiæ communicatio; quæ Catholica eſt,& Catholica nominatur.* Petis fortè quanam ratione id probem? Fortiſſima ſanè, quam inficiari nullo modo queas. Nam vt illam interim taceam,quam alibi explicabimus, nimirum quòd Romana Eccleſia eandem fidem prorſus doceat, quæ ab antiquis illis Patribus tradita eſt: potiſſima ratio ab Apoſtolico teſtimonio deſumitur, quo eandem ſemper Eccleſiam vnam, ſanctam, Catholicam,& Apoſtolicam credere cogimur. Quaproper cùm Romana Eccleſia, vbi ſemel à Chriſto inſtituta fuit nunquam immutata fuerit, ſed ſemper eadem,ac integra permanſerit; hinc fateri cogeris eandem Romanam Eccleſiam, quæ modò apud nos viget, eandem Eccleſiam eſſe non tempore;ſed Catholica fide, quæ apud priſcos Patres olim vigebat, & ab iis Catholica dicebatur.

Cypr.de vnit. Eccl.

Aug. de vera Relig.c.7.

Romana igitur Eccleſia ea fuit, quæ ſub Irenæo, Cypriano, Athanaſio, Auguſtino, atque aliis antiquis Patribus floruit, de qua Auguſt.

Auguſt. ſermo. de tēp. 131.

Auguſt. ita ſcribit. *Idcirco in ſymbolo dicimus. Credo vnam Eccleſiam Catholicam, id eſt, toto orbe diffuſam, quia diuerſorum Hæreticorum Eccleſiæ ideo Catholicæ non dicuntur, eo quòd per loca, & per ſuas quæque prouincias continentur. Hæc verò ab ortu ſolis vſque ad occaſum, vnius fidei ſplendore diffunditur.* Si rectè expendas hæc Auguſtini verba, certè addiſces Eccleſiam non idcirco Catholicam dici, eo quòd per totum orbem ſit longè, latéque diffuſa: (vt putas) ſed quòd, vbicunque diffuſa eſt, vnius fidei conſtantiam, ac ſplendorem retineat: quod apertiùs etiam docet, his verbis. *Quicunque ab Eccleſia ita diſſentiunt, vt eorum communio non ſit, cum toto; quantumcunque diffundatur, vel in aliqua parte ſeparata inueniatur, manifeſtum eſt, eos non poſſe eſſe in Catholica Eccleſia.* Vides itaque ex Auguſtino Romanam Eccleſiam vbique vnius fidei conſenſione eſſe diffuſam. *Idem lib. de vnit. Eccl. cap. 4.*

Quòd ſi dicas poſt Auguſtinum, Romanam Eccleſiam à vera fide defeciſſe: iam non modò Apoſtolicum ſymbolum proſcindis, quod Eccleſiam ſemper vnam, ac Catholicam credendam proponit: verùm & cum Chriſto pugnas, qui Eccleſiam ſuper eam petram ſe fundaſſe affirmat, in qua perpetuò firma, & incolumis permanere

Mart. ad Burdegal. c. 11. Chryſoſt. dem adu. gẽt. Hier. ad c. 4. Iſa. Aug. ad Pſal. 47. Greg. ad Pſal. 5.

debeat, vt poſt Martialem Apoſtolorum diſcipulum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinũ, præclarè tradit Gregor. his verbis. *Terra autem dicta eſt Eccleſia; tum quia in meſſe fidelium populorum ſpiritali fœcunditate exuberat: tum quia in ſoliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perſeuerat.*

Verùm apertam calumniam arguunt, primum quòd Romana Eccleſia non ſolùm ante Auguſtinum: ſed etiam poſt Auguſtini tempora, perpetuum hæreſibus bellum indixit. Nã & Neſtorianos, & Eutichianos, & Seuerianos, & Theopaſchitas, & Iconomachos, & Monothelitas, & Agnoitas, & Monophyſitas, & Vvaldenſes, & Albigẽſes, & alias quãplurimas hæreſes ad internecionem vſque perſequuta eſt: quo ſanè declarat ſe vera fide nunquam deſtitutam fuiſſe: cùm eam aduerſus hæreſes defenderet. Deinde, quòd à ſingulari fide ſemper abhorruit, & vniuerſalem, & Catholicam fidem ſemper docuit: quod generalia ipſa Concilia teſtantur, ac præſertim Synodus 8. generalis his verbis. *Regulas, quæ ſanctæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ tam à ſanctiſsimis Apoſtolis, quàm ab orthodoxorum vniuerſalibus, necnon & localibus* Conciliis *ſunt traditæ, ſeruare, & cuſtodire profitemur.*

Synodus 8. gen. Can. 1.

Cæte

Cæterùm ſi præſentem Rom. Eccleſiæ fidem ſpectas, num eam Sectariorum fidei inſtar, exiguis locorum ſpatiis concluſam: vbique diformem reperies? Certè negare non potes Rom. Eccleſiæ fidem, eãdem vbique diffundi, nec locorum ſpatiis, quamuis longè inter ſe diſſitis diſiungi, nec marium finibus diſcindi, nec populorum diuerſitate variari: hæc ſanè luculentiora ſunt, quàm vt vlla probatione egeant.

Venio ad fidei ipſius antiquitatem, quæ tum ex his, quæ ſuperiùs diximus: tum etiam ex aliis quæ (paucis tamen) hîc dicenda erunt, adeo clara eſt, atque perſpicua, vt niſi eam fidem inficiari audeas, quæ prioribus ſeculis tot Apoſtolos genuit, tot Martyres peperit, tot Patres orthodoxos protulit, tot ſanctos Pontifices Eccleſiæ dedit, ac deniq; totum Chriſtianum orbem reddidit; omnino fateri cogaris Rom. Eccleſiæ fidem, eam ipſiſſimam eſſe: quæ olim ab Apoſtolis tradita, ac diſſeminata, ad hæc vſq; tempora perlata eſt. Quod ex ipſa Romanæ, & antiquę fidei collatione facilè perſpicuũ eſſe poteſt, quam in reliqui tui operis examine præſtabimus. Quid quæſo, M. A. in Romana fide ab antiqua illa, & Apoſtolica immutatum agnoſcis? Quid corruptum

Quid violatum vides? Annon ea Romanæ Eccleſiæ vox, *Nihil innouandum, niſi quod traditum eſt?* Annon ea Romani Epiſcopi, ac omnium Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum ſententia eſt, quam Baſilius omnium ore celebrat? *Fidem verò nos neque ab aliis ſcriptam nobis recentiorem ſuſcipimus, neque ipſi mentis noſtræ germina tradere audemus; ne humana commenta exiſtimentur eſſe verba Religionis, ſed quæ à ſanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nobis annunciamus.* Annon hoc ſacræ antiquitatis gladio Romana Eccleſia vniuerſas quaſque poſteriores hæreſes iugulauit? Neque ego, M. Antoni, alio magis, quàm hoc antiquæ, & Apoſtolicæ fidei mucrone errores tuos mihi aggrediendos decerno.

Baſil. ep. ad Antio. Eccl.

Tam enim apertum & efficax eſt hoc in Romana Eccleſia antiquitatis teſtimonium, vt plerique ab hæreſi corrupti, cùm in ea nihil ab antiqua fide detractum, nihil imminutum, nihil additum, nihil immutatũ cernerent, ad Romanæ fidei obedientiam, & Eccleſiæ gremium reuocati fuerint. Quod te quoq; M. A. facere oportet, ſi tamen prudens haberi vis. Cùm enim veritate nihil optabilius ſit, quãdoquidem Romana fides tibi ſuſpecta eſt, Sectariorum verò doctrina

verior apparet: cur diligẽtiſſimè, ac lynceis, ſi fieri poſſet, oculis non exploras, quinam fœnum, ligna, ſtipulas; qui è contra lapides pretioſos, gemmas, aurumque fidei ſubſternant? Cur vtrorumque fidem candidè (vt par eſt) cum antiqua fide non cõfers? Vt hoc teſtimonio, quæ vera, quæve falſa fides ſit agnoſcas; vt quam cum antiqua fide conſpirantem offenderis, velut legitimam amplectaris; ſi quam verò ab ea diſiunctam repereris, velut nuperam, ac nouitiam reiicias. Quid eſt, quod magis Rom. Eccleſia à te, & à Sectariis expetit, quam vt fidem antiquam cõſulas, ac fidem cum fide compares, dummodo integrum animum ad hoc iudicium feras: equidem non dubito, quin mox Rom. fidem, tot ſanctorum Patrum doctrinæ innixam, tot ſeculorum cõſenſiõne roboratam, tot Conciliorum auctoritate confirmatam, tam antiquo Eccleſiæ vſu receptam videas; vt in ea præter veræ fidei aurum, gemmas, lapides pretioſos nihil prorſus inuenias: cũ è veſtigio Sectariorum fidem, ita omni antiquitatis teſtimonio orbatam, omni Conciliorum robore deſtitutam; omni conſenſionis iure priuatam perſpicias, vt iure meritoque ſuſpicari debeas, eam nihil niſi fœnum, ligna, ſtipulas ſibi vendicare.

Poſtremò ſi Romanæ fidei vniuerſalitatē perpendisqua ſe per omnium gentium conſenſionem diffundit.Quid hac fide admirabilius? Quis tantam Rom. fidei pacem,tantum animorum conſenſum , tãtam populorum concordiam, tamque vnanimem: tot Epiſcoporũ,tot Theologorum,tot Doctorũ, tot Patrum, tot Conciliorum: omnium locorum, omnium temporum, omnium ætatum, in eiuſdem fidei cõmunione ſententiã maximè non admiretur? Ea procul dubio, M.A.teſte Athanaſio,ſemper in Eccleſia vera fides credita fuit, quæ omnium gentium conſenſum ſibi vendicaret. *Hæc eſt*, inquit, *vera doctrina, hoc eſt verum ſignum, argumẽtũq; quod ita inter ſe conſentiunt,neq; diſsident,vel inter ſe,vel inter Patres.* At quæ vnquam Eccleſia præter Romanã,fidei vnitatem,ac conſẽſum apud omnes obtinuit,ac obtinet? Polycarpus Apoſtolorum auditor Romam petiit vt Rom.Eccleſiam de Paſchatis celebratione conſuleret, Irenæus ad Rom. Eccleſiã in fidei dubiis confugiendum eſſe docet; eo quod in eam Apoſtoli quicquid veritatis erat contulerint, Cyprianus Rom. Eccleſiam, velut fidei matricem agnoſcendam prædicat illis verbis: *Scimus nos hortatos eſſe vt Eccleſiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoſ*

Athan. orat. in dictum illud, omnia mihi tradita. &c.

Ireneus l. 3. c. 3.

Cyp. ep. 8.

agnoſcerent, & tenerent. Ambroſius, de obitu Satyri, ipſum laudat, quòd nunquam cum alia præterquam cum Romana Eccleſia communicauerit, vbi etiam Rom. Eccleſiam, Catholicam appellat. *Rogauit*, inquit, *ſi cum Epiſcopis Catholicis, ideſt ſi cum Eccleſia Romana conſentiret.* Hieronymus omnem aliarum Eccleſiarum fidem, prætérquam Romanæ reſpuit. *Ego*, inquit, *Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram, ædificatam Eccleſiam ſcio.* &c. *Non noui vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicunque tecum non colligit, ſpargit*; Denique nulli, qui Catholicam fidem profitetur, fas vnquam fuit aliam præter Romanæ Eccleſiæ fidem amplecti, vt teſtatur Maximianus Epiſcopus Conſtantinop. his verbis. *Omnes fines terræ, qui Dominum ſyncerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes in poteſtatem Romanorum Pontificum, tanquã in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumẽ Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt.*

Hier. ep. ad Damaſ. Pa.

Maximianus epiſt. ad Orientales.

Sed quoniam nimis moleſtum eſſet vniuerſa argumenta, ac teſtimonia perſequi, quæ Romanã fidem vno conſenſu ab omnibus orthodoxis receptã indicant, vnus tibi ſufficiat S. Bernardinus Senenſis, Frãciſcanę familiæ ſplendor, qui cùm hodiernos Sectarios vno, vel altero ſeculo præceſſerit: ante-

quam inter nos, & Sectarios de hac Romanæ fidei conſenſione quæſtio orta eſſet; iam pro Romana fide ſententiam tulit, cùm ita

Bernard. Sen. tom. 1. ſerm. 1. cap. 2.

ſcribit. *Penſanda eſt concordia non ſolùm dictorum: ſed etiam operum, & geſtorum Sanctorum omnium, & verè Catholicorum; qui in Dei Eccleſia extiterunt ab ipſo Chriſto, vſque ad noſtra tempora. Nam in his, quæ legis, ac fidei noſtræ ſunt, nec in puncto quidem diſcordant: licèt in his, quæ per opinionem probabilem currunt, aliquando aliter vnus, quàm alter reperiatur ſentire. Vnde per hæc clareſcere poteſt, quòd & poſteriores, & priores in vnum, eundémque Spiritum congregati, vnam conſtituant Eccleſiam, ſponſam vnicam Ieſu Saluatoris in vnam, & eandem fidem.*

Quapropter ſi veritatis potiùs, quàm erroris ſtudioſus haberi vis, M. Antoni, id tibi his argumentis, perſuadere debes; ſolam Rom. Eccleſiæ fidem, Catholicam eſſe, ac eandem per omnes orthodoxos diffuſam. Quòd ſi profunda hæc Romanæ fidei conſideratio Auguſtinum in hoc ſtabile conſilium rapuit; vt hac potiſſimùm ratione nequaquam ſibi à Rom. ac Catholica Eccleſia diſcedendum putaret, Certè eadem te ad æquè ſalubre conſilium prouocare debet, vt cùm à Romana Eccleſia exceſſeris, pruden-

tiùs

tiùs ad eam quamprimum redeas.

Iam verò poſtremum veræ Eccleſiæ argumentum proſequamur. Veram Chriſti Eccleſiam, eam tantùm eſſe; quæ ſuper petram, Domini voce, fundata, Apoſtolica meruit appellari: tam luculenter, ac pellucidè ipſe Saluator docet, cùm ait. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quòd niſi cum Sectariis, ſumma infidelitate, Chriſti verba oppugnare velles, omnem prorſus huius rei à te dubitationem expellerent. At ſi minùs tibi Chriſti verba ſatisfaciunt, antiquam ſaltem Patrum fidem, ac doctrinam repellere non debes, qui id communi ſenſu, velut certiſſimum aſtruunt. Clem. Rom. id diſertis verbis affirmat. *Simon Petrus*, ait, *veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum Eccleſiæ eſſe definitus eſt.* Idipſum Origenes affirmat. *Petro*, inquit, *cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper terram fundaretur Eccleſia.* Cyprianus idem docet, his verbis. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia ſuper Petrum, Domini voce, fundata.* Quid clarius? Idem ſæpius repetit epiſt. 55. 70. 71. ad Quintum fratrem, & 73. ad Iubaianum, & cum eo Tertullianus de præſcrip. Hæret. c. 22. Hila-

Matt. 16.

Clemens Rom. ep. 1. ad Iacobum.

Orig. in cap 6. ad Rom.

Cyp. epi. 40.

rius ad Pſal. 131. Ambr. ſerm. 68. Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam, Auguſtinus lib. 1 Retract. c. 21. Chryſoſt. hom. 83. in Matt. Epiphanius in Anchorato, Cyrillus Alexan. lib. 2. in Ioan. c. 12. ac reliqui omnes.

Ex his igitur Patrum teſtimoniis, id tibi exploratum eſſe debet; nihil apud orthodoxos Patres, atque antiquæ fidei Doctores magis certum, ac ſtabile fuiſſe: quàm eam tantùm veram Eccleſiam cenſeri, quæ à Petro per integram, ac ſuccedaneam Pontificum Romanorum lineam, originem duceret. Hoc argumento, Tertullianus veram Eccleſiam agnoſcendam docet, *Omne genus* (ait) *ad originem ſuam cenſeatur, neceſſe eſt. Itaque tot, ac tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima ex qua omnes.* Tum cap. 32. ex eo contra Hæreticos præſcribit. *Si quæ audent ſe interſerere Apoſtolicæ ætati, vt ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, poſſumus dicere. Edant ergo origines, ſuarum* Eccleſiarum, *euoluant ordinem ſuorum* Epiſcoporum, *ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem.* Hoc teſtimonio Optatus aduerſus Donatiſtas pugnat, *Veſtræ cathedræ*, ait, *originem reddite, qui vobis vultis ſanctam* Eccleſiam *vendicare.* Hac ratione Hieronymus aduerſus Luciferianos veram Eccleſiam demonſtrat, ita ſcribens. *In illa* Eccleſia *permanendum*

Tertullianus de præſcript. Hæret.

Opt. li. 1.

Hieron. adu. Lucifer. c. 4.

nendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad hanc diem durat. Sic Irenæus, ſic Auguſtinus, ſic cæteri Patres, quod ipſa quoque ratio perſuadet: nam qui antiquam generis nobilitatem probare volunt; ij Maiorum ſuorum genealogiam euoluunt, quouſque ad primum originis ſtipitem peruenerint: Etenim hoc probationis genere, quo nullum inter homines efficacius, ac ſyncerius exiſtimatur, ipſa quoque Scriptura non ſemel vſa fuit. Ruth. 4. Eſther. 2. Matt. 1. Ita qui veram Chriſti Eccleſiam ſibi vendicare volunt, iis hac probatione vti opus eſt; vt eam à Petro in quo primùm Eccleſia conſtructa fuit, ac inde per diſtinctam, & nunquam interruptam Pontificum ſucceſſionis ſeriem ad ipſos vſque propagatam; quaſi contextam genealogiam oſtendant.

Hæc itaque cùm ita ſint, iam Sectariorũ Eccleſias cõtemplare, M. Antoni, ac tecum perpẽde, num apud illas aliqua ſucceſſionis Apoſtolicæ teſtimonia elucceant: vrge, prouoca, compelle cum Tertulliano, cum Irenæo, cum Optato, vt ſuarum Eccleſiarum origines edant, & ſi Apoſtolicæ ſunt, Apoſtolicam ſucceſſionem oſtendant: *hoc enim modo* vt Tertullianus ait, *Eccleſiæ Apoſtolicæ cẽſus ſuos deferũt.* Qualẽ apud illas Apoſtolicã ſucceſſio

ceſſore ad has Eccleſias inſtituendas miſſi fuerint; quis illis in inſtitutas Eccleſias ius dederit; quis Paſtores, & Epiſcopos creauerit; vnde tandẽ eorum Eccleſiæ ab Apoſtolis originem duxerint, hactenus (vt credo) nobiſcum ignoras; cùm antea in Romana Eccléſia eſſent, à qua ſeipſos propria auctoritate ſepararunt.

Quò fit, vt iure meritoq; illos Romana Eccleſia Tertullianicis verbis increpare valeat. *Qui eſtis? Quando, & vnde veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Quo iure*, Luthere, *Syluam meam cædis? Qua licentia*, Caluine, *fontes meos tranſuertis? Qua poteſtate*, Zuingli, *limites meos commoues? Mea eſt poſſeſsio, quid hîc cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſsio, olim poſsideo, prior poſsideo, habeo origines firmas ab ipſis auctoribus, quorum fuit res; Ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo.*

Dices fortè Sectariorum Eccleſias non Cathedræ, ſed Apoſtolicæ doctrinæ eſſe ſucceſſores. At certè toto cœlo aberras, neq; enim vlla Apoſtolica doctrina eſſe poteſt, quæ cum Apoſtolica Cathedra non ſit coniuncta, & cùm ea ab Apoſtolis ſuc-

ceſſionem nō acceperit. Si doctrinam à Cathedræ Apoſtolicæ ſucceſſione ſemoueas; non doctrina Apoſtolica eſt, ſed Hæreticus error. Teſtem accipe Irenæum qui docet *his obaudiendū eſſe, qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſsione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, & quocunque colligantur ſuſpectos habere, vel quaſi Hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos,* &c. Vnde enim doctrinæ veritas? Vnde Catholicha fides manat? Præterquam ab ea Eccleſia in quam (vt idem Irenæus ait) Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè contulerunt omnia, vt omnis quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Vnde errorum detectio? Vnde hæreſum extinctio, ſi eidē Irenæo credimus, præterquā ex Apoſtolica doctrina nobis per ſucceſſionis manus cōſignata? *Quid enim,* ait lib. 3. c. 4. *Et ſi cui de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli cōuerſati ſunt, & ab eis de præsēti quæſtione ſumere, quod certū, ac liquidū eſt.*

Iren. libr. 4. c. 43.

Idē c. 4.

Idem lib. 3. c. 4.

Age M. A. quandoquidem de tot fidei controuerſiis nobis tecum, & cum Sectariis diſceptatio eſt: iam quæſo apud eos Eccleſiā quære,

quære, in qua Apoſtoli conuerſati ſint, vt ex ea, quod certũ, ac liquidũ eſt, ad quæſtionũ diſſolutionẽ haurias. Eamne apud illos te inuenire poſſe ſenties? Haud puto, cùm eorum Eccleſia vix octoginta annos nata, ac nupera, Apoſtolos nunquam viderit, aut audierit.

At verò ſi integrũ animum paulisper ad Romanam Eccleſiam diuertas, in ea non ſolùm Apoſtolos conuerſatos: ſed totam etiam fidei, ac doctrinæ veritatẽ ſimul cum Pontificum ſucceſſione ab iis trãsfuſam reperies. Iamq; illud non agito, M. Ant. an Romana Eccleſia, Apoſtolica ab ipſo Petro per continuatam Põtificum ſeriem ſucceſſione fruatur, id extra controuerſiam ſit: neque enim id ignorare potes, quod vniuerſus orbis prædicat, ac ipſa rerum experientia loquitur: In eo tamen maximè Dei cõſilium admiror, quòd cæteris Apoſtolicis Eccleſiis, Anthiochena, Alexandrina, ac Hieroſolymitana ab infidelibus occupatis, vel ab hæreſi infectis, ex quo in iis ſucceſſionis linea abrupta eſt: vna Romana Eccleſia, Petri ſedes perpetuam Pontificum ſeriem, & cum ea veræ doctrinæ ſucceſſionẽ nunquã interruptã obtinuerit, quod idcirco factũ eſſe credendũ eſt, vt ſola Romana Eccleſia Apoſtolica, & omniũ Eccleſiarũ mater crederetur,

ad quam omnes Dei promiſſiones Eccleſiæ factæ ſpectarent.

Cæterùm, ſi antiquos Patres euoluas, animaduertes profectò eos incorruptam Romanorum Pontificum in Apoſtolica ſede ſucceſſionem ſemper tanti feciſſe, vt ea velut efficaci argumento vſi fuerint, vt Romanam Eccleſiam, veram Chriſti Eccleſiã eſſe probarent, atque illam aduerſus Hæreticos defenderent. Vide quæ ſcribit Irenæus qui cæteris Eccleſiis Apoſtolicis poſthabitis, quæ adhuc eo tempore vigebant, Romanæ Eccleſiæ Pontifices in veræ Eccleſiæ teſtimonium vſque ad Eleutherium recenſet. Tertullianus hoc ipſum argumentum aduerſus Hæreticos vſurpat; idem præſtant Euſebius Cæſar in Chronico, Optatus Mileuitanus libro ſecundo, contra Parmenianum, Epiphanius hæreſi 27. Hieronymus, & Proſper in continuatione chronici Euſebiani, Auguſtinus ep. 165. ad Generoſum. Ex quo ſatis mirari nequeo, qua ratione fieri potuerit, vt tu qui Patrum, atque antiquæ doctrinæ te tam curioſum, & diligentem indagatorẽ iactas, hunc tam præclarum in Roman. Eccleſia ex hoc ſucceſſionis ſymbolo aſſerẽda cõſenſum nõ perſpexeris.

Idem lib. 3. cap. 3.

Tertull. de Præſcrip. Hæret.

Igitur, M. Ant. iam nunc primùm ſaltem

clario

clarioribus oculis perſpice, quàm imprudenter Romanam Eccleſiam deſerueris, atque ad Sectarios confugeris. Audiſti ex Scripturis, ex Patribus, ex antiqua Eccleſiæ fide, Romanam Eccleſiam eam eſſe, quā vnam, quam ſanctam, quàm Catholicam, quàm Apoſtolicam in ſymbolo credis. Cur ergo abnegata fide, violato iureiurando, diſrupto charitatis vinculo, perfracto obedientiæ iugo, ac tandem Catholica veritate expulſa perfidiam amplecteris? Quid multiplices? Quid variis doctrinarum ſchiſmatibus diſciſſas? Quid tot erroribus maculatas? Quid fide, ac doctrina ſingulares? Quid nouas, & adulteras ſectas pro vna, pro ſancta, pro Catholica, pro Apoſtolica Eccleſia colis? Vbi mens, vbi prudentia, vbi conſilium? Si veram Chriſti Eccleſiam optabas; cur in ea Eccleſia non permanebas, vbi fidei vnitas, vbi doctrinæ conſenſus, vbi Pontificis dignitas, vbi Apoſtolica ſucceſſió apertiſſimè vigent? Vbi tandem Apoſtolica vita, Euangelica perfectio, præclara morum ſanctimonia, publica, ac frequentiſſima miracula, eam veram Eccleſiam eſſe teſtantur? Hæc ſunt veræ, ac Catholicæ Eccleſiæ certa teſtimonia, quibus olim Auguſtinus permotus fuit, vt Romanā Eccleſiam

amplexaretur, amplexatamq́; conſtantiſſimè retineret, dum ita ſcriberet. *Multa ſunt quæ me in Catholicæ Eccleſiæ gremio iuſtiſsimè tenent: tenet conſenſio populorum, & gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſsio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum* Catholicæ *nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes; ſic iſta ſola Eccleſia obtinuit, vt cùm omnes* Catholici *ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad* Catholicam *conueniatur, nullus Hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.*

Auguſt. cōtra ep. Manichæi. c.4.

Verùm te nec Catholicæ nomen, quod veros Catholicos parit; nec Pontificum ſucceſſio, quibus ſubeſſe iuraueras; nec vetuſtatis teſtimonium, quod bene compoſitos animos ſibi ſubiicit; nec charitatis, ac vnitatis vinculum, quo te Romanæ Eccleſiæ mobſtrinxeras: nec euidens, ac Diuina miraculorum maieſtas, quæ vniuerſum orbem fidei ſubegit: nec admirabilis populorum, & gentium conſenſio, quæ veram Eccleſiam, velut digito demonſtrat adeo in Catholicæ Eccleſiæ gremio retinere potuerunt. Vt ab eo tot vinculis perfractis, leuiſſimè

ſimè tandem non euolaueris.

Quid vis nobiſcum iudicio contendere, M. A? Agnoſce illa Dei verba apud Hierem. ad te pertinere. *A ſæculo confregiſti iugũ meum, rupiſti vincula mea, dixiſti nòn ſeruiam.* Superbia enim, quæ omnium Hęreticorũ eſt mater, ita animum tuũ erexit, vt iuxta Iobi ſententiam quaſi pullum onagri liberum te natum putes Quid excuſationumfolia tibi texis? Quid frũſtra niteris bonam oſtendere viã tuam ad quærendam fidem? Qui inſuper alios docuiſti malitias tuas; & in libris tuis inuẽtus eſt ſanguis animarum pauperũ, & innocentum. Quomodo dicis pollutus non ſum, poſt ſectas non ambulaui: repete animo profũdè vias tuas; vide vnde exieris, quo aufugeris, quo itinere, quo ſpiritu, qua animi tempeſtate, qua mentis perturbatione, quo impetu, quo conſilio, quo fine fugã inieris; perpende quid feceris: neque enim (vt credo) conſciẽtiæ latratus te in vtramq; aurem ſemper ita obdormire ſinunt, vt aliquãdo admiſſi ſceleris ſtimulis non agiteris. Quis fueris recole, quis ſis perpẽde, fugam cogita, caſum rumina, damna meditare, te denique tibi redde, ac tunc primùm perſpicies, quàm pernicioſũ, ac funeſtum tibi fuerit tuæ profectionis Conſilium: Vatéque te

Hierem. cap. 2.

Iob. 1.

alloquēte,& occaſui (his verbis) te admonētē audies. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer,* Iſai. 14. *qui mane oriebaris!* Quis enim hic Lucifer, niſi Epiſcopus, cui ex Saluatoris ſententia, illuminādæ Eccleſiæ munus incumbit. Matt. 5. *Nemo*, ait, *accendit lucernam,& ponit eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt, & qui ingrediuntur lumen videant.* AdTit.2 Et iuxta Pauli conſilium, Fidei, ac bonorum operum luce cæteris præire debet. *In omnibus*, inquit, *teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Tu igitur Epiſcopus, tu Lucifer, tu Eccleſiæ ſydus, tu diuinæ ſimilitudinis ſignaculum, tu Cherub extentus, plenus ſapientia, perfectus decore, tu fidei magiſter: qui veritatis, qui fidei, qui præſtantiſſimorum operum luce cunctis lucem ferre debueras. Proh dolor, terrenam potiùs, quę eſt filiorum Agar, quàm cœleſtem ſapientiam exquirens, plurima errorum caligine obtenebratus; tandem è ſublimi Eccleſiæ vertice, quaſi è cœlo cecidiſti. *Vidi* Apoc. 9. (inquit Ioannes) *ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſsi; & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt Sol, & aër de fumo putei.* En triſte tui occaſus ſimulachrum, Vix

enim

enim in te extincta veræ fidei luce, Chriſti Eccleſiam deſeruiſti, ac velut è cœlo in terram dilapſus terrenas ſectas colere cœpiſti: mox tot hæreſum fores, impia tuorum librorum doctrina, velut claue aperuiſti; vt ipſum abyſſi puteum patefeciſſe videaris; ex quo tanta protinus errorum caligo, quaſi conglobatis fumi voluminibus emerſit; vt non ſecus quàm expanſis tartari faucibus, infernali hoc halitu, veræ fidei ſplendorem, ac puriſſimum Eccleſiæ aërem obtenebraueris.

Filius Syon inclitus, amictus auro primo, quomodo reputatus es in vas teſteum opus manuum figuli. Tu, Marce Antoni, qui inter primos, ac nobiliores Eccleſiæ filios, Primas gradiebaris: qui Epiſcopali auro fulgens omnium in te oculos conuertebas: qui omni lapide pretioſo opertus, ac Diuinorum chariſmatum opibus auctus in medio lapidum ignitorum miniſtrabas. Quid eſt, quod priſtino glorię ſplendore amiſſo, nunc inter vaſa teſtea, terrea, ſordida, obſcura, contritioni proxima Diuino furori obnoxia deputaris? Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam.

Quid? M. Antoni, quid? Num perpetuus hic tuus erit occaſus? Nunquid qui cadit

Hier. 2. non reſurget, & qui auerſus eſt non reuertetur? Cur ergo auerſus es auerſione contentioſa, apprehendiſti mendacium, & noluiſti reuerti? Quare frons mulieris meretricis facta eſt tibi? Noluiſti erubeſcere, dixiſti, perij, non reuertar ad Dominum vltra, deſperaui: maior enim facta eſt iniquitas mea peccato Sodomorum, qui ſubmerſi ſunt in momento. Quid ais, M. Antoni? hæc perditorum, ac dæmonum, non pœnitentium vox eſt. Cui vnquam de Diuina benignitate deſperandum fuit? Quid tam Deum offendit, quàm deſperatione meliorum hærere prioribus. Cur peribis, Antoni, quem Chriſtus proprio cruore, ac morte in vitam vendicauit? Iam amodò conuertere, & age pœnitentiam ab iniquitate tua, & non erit tibi in mortem, neque in ruinam iniquitas. Graue peccati vulnus accepiſti: at nunquid non pœnitentiæ reſina eſt in Eccleſia, aut Sacerdos non eſt ibi, vt curari non poſſit cicatrix vulneris tui.

Fateor Epiſcopus, & inter Epiſcopos Primas, ſacro oleo præ conſortibus ſuis vnctus, ſapiens, eruditus in foueam hæreſum corruit, ſe perdidit, ac nigra peccati ſui nube totam Eccleſiam obſcurauit: At qui Laodicenſi Epiſcopo, qui miſer, & miſerabilis, & pauper,

pauper, & cæcus, & nudus erat; Ioannis ore ſuadet, vt emat aurum ignitum, vt locuples fiat, vt veſtimentis albis induatur, vt non appareat confuſio nuditatis ſuæ, & collyrio inungat oculos ſuos vt videat, ac demùm vt pœnitentiam agat: cur te ad Eccleſiam reuertentem ignito charitatis auro locupletem, albis veræ fidei veſtimentis indutum, nouo agnitæ veritatis collyrio inunctum, demum verè pœnitentem priſtino ſplendori non reſtituat? Luxurioſus ille filius, vt inquit Hieronymus, totam prodegerat ſubſtantiam, & procul à patre, vix porcorum cibis inediam ſuſtentabat, reuertitur ad parentem, immolatur ei vitulus ſaginatus, ſtolam recipit, & annulum. Quid? Annon & eadem tibi ſperare licet; ſi modò in te reuerſus, veram illius pœnitentiam imitere, & prioribus ſectarum adulteriis, quibuſcum hactenus luxurioſè vixiſti, ex animo deteſtatis, ad paternam tandem Catholicæ Eccleſię domum redeas, atque ad ſummi Pontificis pedes prouolutus, ac lacrhymarum imbribus perfuſus, dicas. Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus: ſed fac me ſicut vnum de mercenariis tuis; quid dubitas,

Hieron. ad Ruſticum.

dubitas, quin Patris indubiè benignitatem experiaris.

Ini igitur Conſilium, M. Antoni, coge Conſilium non imprudens, ac inſipiens, velut prius Conſilium fuit: ſed prudentiſſimum, ac ſapientiſſimum. Prius defectionis Conſilium fuit; hoc perfectionis ſit: Prius diſceſſum ab Eccleſia ſuaſit; hoc reditum ad Eccleſiam imperet: Prius te Apoſtatam præſtitit; hoc te Epiſcopum reddat: Prius, dæmone auctore, tibi ſuaſum fuit; hoc, Deo ſuaſore, tibi ſequendum propone: Prius te ad fugam compulit; hoc te à fuga reuocet: Prius tibi dedecus, ac ignominiam comparauit; hoc priſtino honori, ac famæ reſtituat: Prius denique Hæretici, ac peccatoris fuit; hoc Catholici, ac pœnitentis ſit: hæc fuga, hic diſceſſus tuus non ſit corui ex arca euolantis, nec ad eam ampliùs redeuntis, ſed potiùs Columbæ pacis ramum gemebundo ore præſe ferentis, quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius ad arcam & Noë eſt reuerſa. Quid reditum, M. Antoni, procraſtinaris, vbi in ſectis non habeas, in quo animus quieſcat. En grandæuum Patrem te ad Eccleſiæ feneſtram præſtolantem, vt dextram porrigat & ad illius gremium reducat. Non

te homi

te hominum pudor ab hoc Conſilio retrahat, teipſum grauiter erubeſce, vt alios non erubeſcas: neque enim ſaluti pudor, ſed pudori ſalus præferenda eſt, non te pœnitentiæ acerbitas terreat: Angelorum lætitiam ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, animo repete, & tuæ pœnitentiæ gaudium non deerit. *Quanta enim lætitia, quanta fœlicitas*, ait Hieronymus, *vt de ſalute noſtra exultent cœleſtia.* Hoc reditus, hoc pœnitentiæ Conſilium tibi arripe. Lugubris aliquandiu ſit animus, defluant oculis lachrymæ, palleſcat facies, corpus ieiuniis maceretur, cor ex ſceleris tui aſpectu, ſicut cera liqueſcat, atque ita demùm proprius perpetrati facinoris iudex, ac vindex ad Eccleſiam redi, nec Conſilium aſpernare: Neque enim meum hoc Conſilium eſt: ſed tui Hieronymi Dalmatæ, qui velut futuri tui ſceleris præſagus, te ad pœnitentiam hoc Conſilio prouocat. *Do Conſilium*, inquit, *petas vltro carcerem pœnitentiæ*, *obruas catenis viſcera*, *animam tuam gemitu*, *ieiuniiſque diſcrucies*, *ſanctorum petas auxilium*, *iaceas ſub pedibus electorum*: *vt non tibi per cor impœnitens theſaurizes iram in die iræ*, *& iuſti iudicij Dei*, *qui reddet ſingulis ſecundum opera ipſorum*,

Hieronymus ad Ruſticũ.

Hieron. Inuectione in corruptorẽ.

neq;

nec te in eorum numero conſtituas, quos luget Paulus: qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Vale, & hoc Conſilio meliùs tibi conſule.

FINIS.

Laus Deo, & B. Virgini Gratiarum actio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

35-Y-H-1

APPROBATIO DOCTORVM.

PAræneſim iſtam ad Antonium dè Dominis approbo Catholicam, & teſtor eo nomine dignam, quæ ad multorum vtilitatem vt in lucem prodeat opto. Lugduni 20. Aprilis 1618.

F. ROBERTVS BERTHELOT
Epiſcopus Damaſci.

EGo Ioannes fontaine Sacræ Theologiæ doctor. C. Beatæ vicariæ inſulæ Barbaræ, & librorum Cenſor, dictam Paræneſim tanquam Catholicam, & doctrina refertam, luce dignam Cenſeo, Lugduni. 6. Maij 1618.

I. FONTAINE.

Conſenſus Cauſidici Regis.

HVnc librum, qui inſcribitur *Paræneſis Cathol. Pars I. ad M. Antonium de Dominis*, typis mandari permittimus, & ne citra eius qui editionem curauit, conſenſum quis reducat, interdicimus. Datum Lugduni 20. Aprilis 1618.

BOLLIOVD.

Permiſſio loco tenentis Generalis.

PErmittitur Iohanni Charüet, vt typis hunc librum, qui *Paræneſis Catholicæ pars prima ad M. Antonium de Dominis* inſcribitur, mandet, cum prohibirionibus in tali caſu indagatis. Datum Lugduni 20. Aprilis 1618.

SEVE.